Z.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
L
B
15
NAPOLI

15

Digitized by Google

Digitized by Google

EPITOME HISTORICA
De Vita, Reliquiis, & Beneficiis
admirabilibus

S. LIBORII
EPISCOPI,
Paderanæ Urbis ac Diœce-
ſis Patroni tutelaris,

In doloribus calculi, morbiſq; aliis, magni Opitulatoris.

Anno 1736

In Solemni JUBILÆO
Sæculi noni,
Ab adventu LIBORIANARUM
Reliquiarum feliciter completi,

Unà cum Officio Parvo
de eodem Sancto,

Ad augendam Populi devotionem
PROPOSITA

à P. Michaële Strunck, Soc. Jesu,
SS. Theol. Doctore, & Profeſſore
emerito.

Paderbornæ Typis Joannis Thedori Todt, Sm̃i
Electoris Colonienſis Aulici Typogr.

DIVVs LIBORIVS
PaDeranæ VrbIs
&
DIœCeseos patronVs
tVteLarIs.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO
ac
SERENISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO,
DOMINO
CLEMENTI AUGUSTO
ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI,
SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO Nato, S. R. I. per Italiam Archi-Cancellario
ET ELECTORI,
Supremo Adminiſtratori Boruſſiæ, & Magiſtro Ordinis Teutonici,
Diœceſium Paderbornenſis, Hildeſienſis, Monaſterienſis, ac Oſnabrug. Epiſcopo, utriuſque Bavariæ, Palatinatûs Superioris, Weſtphaliæ, Angariæ &c. Duci, Comiti Palatino ad Rhenum, Landgravio Leuchtenbergenſi, Burggrav. Strombergenſi, Comiti Pyrmontano, Domino in Borckeloh, Werth, Freudenthal & Eulenberg &c. &c.

EMINENTISSIME ac SERENISSIME ELECTOR, PRINCEPS ac DOMINE,

DOMINE CLEMENTISSIME.

Communis hodie Scriptorum conſuetudo eſt, ut, cùm aliquid librorum edunt, id alicui Magno Principi, aut certè ſingulari Patrono ſuo, dedicatum velint. Quâ tamen in re non unus omnium ſcopus eſt, nec idem animi conſilium. Alii namque ſuas lucubratiunculas tali Patrono conſecrant, ut in ipſo Mecænatem inveniant, qui præli ſumptus expediat: Alii, ut Athlantem ſibi parent, quo ſuſtollente pluſculùm emergant: Alii denique, ut hujus-

juſmodi libellos faciliùs obtrudant vulgo, qui plerumque eos non vulgari doctrinâ refertos putat, quando Magnorum Dominorum titulos in fronte præferunt.

Nihil horum à Te exſpecto, EMINENTISSIME ac SERENISSIME PRINCEPS. Alias ego cauſas, eáſq; multò nobiliores habeo, cur hoc opuſculum, quod LIBORIanæ Hiſtoriæ noſtræ epitomen continet, honori nomíníq; Tuo inſcribam: nimirum, quia Paderana Diœceſis noſtra Sereniſſimo Tuo Ducum Boicorum ſanguini unicè poſt Superos debet, quòd Jubilæam hanc atque Sæcularem S. LIBORII Patroni ſui feſtivitatem, poſt innumera ſuperioris ævi pericula, adhucdum celebrare tanto cum triumpho

 poſſit.

poſſit. Miraris? Crede mihi, nihil adulatoriè de Tuis dico. Rei totius ſeriem, ſinè omni verborum lenocinio, à me breviter ſic habe.

Anno 1622, exeunte Januario, *Chriſtianus* è Domo Brunſvicenſi, Poſtulatus Halberſtadienſis, quem vulgò *turbulentum* ab inquieto ingenio nominant, quorundam civium Lutheranorum proditione Paderbornam occupavit, Lipſanothecam LIBORIANAM ex Æde Cathedrali ſuſtulit, argentum illius omne in Monetariam Officinam traduxit, ſacrilegos ex ea nummos procudi juſſit: & (quod inter hæc omnia triſtiſſimum erat) cùm ab urbe Paderana menſe Majo rurſũ abſcederet; etiam venerandas B. LI-

Liborii Exuvias, vili mappæ inſutas, unà ſecum abripuit. Hæ Reliquiæ, Elector Serenissime, ſi poſtea nunquam ad Paderæ fontes rediiſſent (utì maximopere metuebant cordati omnes) ubi tunc eſſet moderna feſtivitas noſtra? ubi Jubilæum hoc Sæculare? ubi omnes illi, quos modò adornavimus, triumphales plauſus, ac devota populi Paderani gaudia?

Ecquis autem in iis recuperandis majori cum fervore ac induſtria deſudavit, quàm ille Magnus Propatruus Tuus, FERDINANDUS Archiepiſcopus & Elector Colonienſis, qui eodem illo tempore Diœceſis noſtræ gubernacula ſummâ cum laude tenuit? Primùm ille per æſtatem iſtius anni

 vari-

varios huc illuc nuntios & exploratores miſſitavit, qui ubique in locis omnibus, ubi Halberſtadius, ante & poſt acceptam cladem Höchſtanam, ad Mœni Rheníq; flumina circùm vagatus erat, in amiſſas B. Liborii Reliquias diligenter inquirerent. Deinde propiùs comperiens, eas ab Halberſtadienſi profugo donatas eſſe Illuſtriſſimo Domino Philippo Ottoni Rhingravio de Salm (cui tunc potiſſima ſuæ Familiæ ſedes erat Neovillarii in Lotharingia) non modò ſtatim honorarias ad ipſum literas Legatúmq; miſit; verùm etiam paulò pòſt cum eo coràm in Comitiis Ratisbonenſibus frequenter egit, perurſítq;, ut ille tantis precibus & auctoritate victus

ctus appromiſerit, egregium illud Paderanæ Eccleſiæ ſpolium reſtituere. Poſtremò etiam, cùm è Comitiis rediiſſet, novos iterum Oratores ad aulam Rhingravii amandavit, Reliquias ab Halberſtadienſi acceptas repetiit, Marien-Forſti prope Bonnam depoſuit: atque (ut omnem alicujus doli ſuſpicionem excluderet) ibidem eas in Sacrario iſtius Monaſterii tam diu juſſit cuſtodiri, donec partim ex authenticis complurium teſtimoniis, partim è prodigioſis quorundam curationibus, liquidò comperiret, hæc eſſe eadem Oſſa, quæ ante ſacrilegi prædatoris adventum, à multis jam retrò Sæculis, intra argenteam S. Liborii Lipſanothecam Paderbornæ conquieverant.

 Tum

Tum verò quàm piè ſollicitũ ſe oſtendit in iiſdem honorificè reducendis; imponendiſq; novæ tumbæ LIBORIANÆ, magnis interea ſumptibus ex argento ſolido fabrefactæ? Non poterat ille quidem ſolennitatem hanc Sereniſſimâ præſentiâ ſuâ, quemadmodũ ei maximopere in votis erat, colluſtrare: quia tunc temporis graviſſimè diſtinebant eum publica belli ac pacis negotia, quæ eodem anno ac menſe Cæſarem inter & Septemviros agebantur in Conventu Mullhuſano. Ne tamen propterea triumphali huic pompæ ſplendor omnis decederet, non ſolùm ab Illuſtriſſimo Cathedralis Eccleſiæ Capitulo; ſed etiam ab aliis Aulæ Suæ Neuhuſanæ Pri-

moribus, juſſit ea, quæ ad glorioſam hanc Reductionem celebriùs peragendam & exornandam conducere poterant, ſingulari cum devotione & ſtudio accurari. Neque dubito, quin & ipſe poſtmodùm anno Sæculi ſuperioris triceſimo ſexto (qui ab adventu LIBORIANI Corporis octingenteſimus erat) ad honorē S. hujus Thaumaturgi noſtri, ſolenne Jubilæum aliquod adornaturus fuiſſet; niſi interea rurſum ea temporum infelicitas incidiſſet, ut & urbs Paderborna ſub jugo Haſſorum gemeret, & nova S. LIBORII tumba, furori hoſtium ſubtracta, Monaſterium Weſtphaliæ debuerit in aſylum avehi.

Vides igitur, EMINENTISSIME

ac SERENISSIME PRINCEPS, quantùm Paderana Diœceſis noſtra perpetuis temporibus obſtricta ſit Magno Propatruo Tuo, FERDINANDO Electori & Epiſcopo? quidquid Oſſium LIBORIANORUM, qui certè incomparabilis theſaurus eſt, Cathedralis Eccleſia noſtra poſt prædictam *Chriſtiani Halberſtadii* deprædationem adhucdum poſſidet; id ejuſdem unius beneficio recepit, recuperavit, retinuit. Solennitatem verò anni Sæcularis & Jubilæi, quam ille ſuo ævo propter bella & urbem ab Hæreticis occupatam celebrare non potuit, cùm id vellet & cuperet; ELECTORALI EMINENTIÆ ac SERENITATI TUÆ poſt unius Sæculi intercapedinem in pace reſervavit

vavit benigna manus Omnipotentis. Tu celebritatem hanc magnam, & Nomini Tuo ſemper glorioſam, uti mandato Tuo clementiſſimè incepta eſt; ita pariter Electorali auctoritate Tua ſplendidiſſimè ſub Tuis auſpiciis perfice & conſumma. Sic erit, ut ejuſdem Divi noſtri Tutelaris patrocinio quævis proſpera in terris videas, tranquillè regas, beatè vivas, morborum pericula devites, ac demum poſt optatiſſimam annoſámq; ſenectutem, cum B. LIBORIO & Sanctis omnibus, Deo æternùm conjungaris in cœlo. Id quod ego ex totis animi viſceribus precor, ſimúlq; hoc opuſ-

opuſculum meum , quâ poſſum reverentiſſimâ ſubmiſſione, de genibus porrigo

Sereniſſimæ Electoralis EMINENTIÆ Tuæ

Infimus ac devotiſſimus Famulus

M. S. S. J.

Approbatio Ordinarii.

Libellus hic, cui titulus eſt : *Epitome Hiſtorica de vita, Reliquiis, ac beneficiis admirabilibus S. LIBORII EPISCOPI, Paderanæ Vrbis ac Diœceſis Patroni tutelaris &c.* Cenſorum ad hoc deputatorum teſtimonio nihil continet, quod Fidei Catholicæ boniſq; moribus diſſentaneum ſit: multa verò, quæ ad cultum S. LIBORII ejuſdémq; invocationem, præſertim contra dolores calculi, in piorum fidelium animis promovendam & amplificandam faciunt. Quare eum, ſicut antea germanicè; ità nunc pariter latinè, pro majori Fidelium bono in lucem publicam evulgari permittimus. Paderbornæ Idibus Junii, Anno MDCCXXXVI.

Bernard⁹ Antonius Wydenbrück,
Vicarius in Spiritualibus Generalis,
& inſignis Collegiatæ Eccleſiæ ad
Ss. Apoſtolos Petrum & Andream
in Buſtorff Decanus.

Pro-

Proteſtatio Auctoris.

Quoniam Decretis & Conſtitutionibus Apoſtolicis Urbani VIII. Summi Pontificis de anno 1641, perfectè morem gerere, neque adversùs ea quidquam agere ac moliri cogito: idcirco palàm proteſtor ac profiteor coram toto orbe Catholico, quòd ea, quæ in hoc Libello ſcripſi de variis beneficiis & opitulationibus à S. Liborio præſtitis, nullatenus venditare velim utì vera, & Romanæ Sedis judicio jam examinata vel approbata miracula; ſed tantùm velut relationes ac teſtimonia publica virorum gravium, qui talia ſibi & aliis collata beneficia, vel manu propriâ ad alios perſcripſerunt, vel auctoritate Ordinarii publicis Typis evulgârunt. Id, inquam, & nihil aliud pro communi Liborianæ devotionis incremento volui; quàm verè Sacerdos ſum, & ſanctam Catholicam atque Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, quæ commentitiis miraculis nequaquam indiget, ut Magiſtram Veritatis agnoſco.

PRÆ-

PRÆFATIO
&
Opuſculi totius diſtributio.

Anni jam prorſus nongenti ſunt, quòd veneranda S. LIBORII Epiſcopi oſſa è Regno Franciæ Paderbornam adducta, in Eccleſiam Cathedralem importata, & ibidem uſque adhuc innumeris miraculis ac beneficiorum cœleſtium impetrationibus à Deo illuſtrata fuerint. Qua de re cùm univerſa Diœceſis noſtra non immeritò magnis lætitiis efferri debeat; Illuſtriſſimum Capitulum Cathedrale, conſentiente & approbante Sereniſſimo Electore CLEMENTE AUGUSTO, quà Epiſcopo Paderbornenſi, laudatiſſimè ſtatuit, ad honorem hujus magni Thaumaturgi Sæculare Jubilæum hoc anno inſtituere: in

quo pariter Deo ter optimo maximo ſolennes agantur gratiæ, quòd exulceratis mœſtiſſimíſq; temporibus ſuperioris Sæculi, Diœceſim hanc in antiqua Religione Romano-Catholica, quæ tunc in præcipiti periculo ſtabat, per intercesſionem ejuſdem S. LIBORII Patroni noſtri miſericorditer conſervârit. Id autem ut majori cum pietate & animarum proventu fiat; non ſolùm utile, ſed etiam perneceſſarium eſſe viſum eſt, ejuſdem ſancti Antiſtitis vitam, virtutes, miracula, aliáq; facta memoratu digna, quæ in adventu, abductione, & reductione ſacrorum hujuſmodi oſſium ac Reliquiarum contigerunt, in præſenti opuſculo compendiosè & ſtrictim præmittere. Nam in iſtorum omnium enarratione, pleriſque hactenus ignotiſſimâ, detegendæ ſunt res iñumeræ, quæ in nobis primò ſingularem æſtimationem parere, deinde majorem fiduciam excitare, poſtremò etiam ardentiſſimam animi affectionem, amorem, ac devotionem ergà magnum hunc Thaumaturgum prolicere ac promovere valeant; utì ex ipſo Hiſtoriæ decurſu planum fiet.

PARS

PARS PRIMA.

De vita & morte S. Liborii.

CAPUT I.

De vita S. LIBORII uſque ad ejus Epiſcopatum.

I. Sanctum LIBORIUM, quem Paderana Diœceſis noſtra penè à primis incunabulis tutelarem Patronum habuit, Provincia Cenomanenſis in Regno Franciæ pientiſſimis, honeſtiſſimiſq; Parentibus in lucem edidit ſub initium Sæculi quarti; uti ex eruditis *Bollandi*, *Mabillonii*, *Papebrochii*, & aliorum Hiſtoricorum lucubrationibus veriſimili conjectura diſcimus. Ab ineunte adoleſcentia, ſtatim atque ex annis puerilibus egreſſus eſſet, prodebat ſe in eo (*a*) ingenium docile, ſcientiarum Divinarum cupidiſſima ſitis, inuſitata morum ſuavitas, rara animi demiſſio, condiſcendæ virtutis Chriſtianæ ſingularis amor. Poterátq; jam tunc in iſto juventutis primordio non obſcurè conſpici, quòd *manus Domini eſſet cum illo*: hoc eſt: quòd excelſa Numinis providen-

(*a*) *Anonymus in ejus vitâ longiore, to. 5. SS. Julii c. 2.*

videntia ſingularem curam ac ſollicitudinem de hoc adoleſcente erudiendo, formando, gubernando, atque ad altiorem vitæ perfectionem deducendo, gereret.

II. Pòſt, ubi Cenomanis in patria ſua (quæ civitas Epiſcopalis eſt ad fluvium *Sartam*) inter Majoris Eccleſiæ Canonicos adlectus eſſet; religioſus ille rerum Divinarum fervor quotidianis penè incrementis augeri cœpit. Præcipua ipſius cura ab initio vitæ Clericalis erat, non ſolùm Choro ac Divinis Officiis omni cum induſtria pro ſuis viribus inſervire; verùm etiam adjuvante Spiritûs Sancti gratia, ad eam corporis (*b*) animiq; puritatem contendere, ut ante Sacrum altare coram Agno illo immaculato, qui ibidem quotidie per manus Preſbyterorum Deo Patri immolatur, velut idoneus Dei Miniſter comparêre poſſet. Non enim ignorabat illud, quod in ſacris paginis de miniſterio Sacerdotum ac Levitarum dicitur Levit. 21. v. 6. *Sacerdotes ſancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen ejus: incenſum enim Domini & panes Dei ſui offerunt: & ideo ſancti erunt.* Quam ob rem omnes

(*b*) *Anonym in vitâ longiore ibidem.*

omnes cogitationes ſuas, quantùm humana infirmitas patitur, abſtrahebat à terreſtribus, & convertebat ad cœleſtia: in id ſolùm aſſiduè intentus, ut & animi puritatem à mundi ſordibus intactam cuſtodiret, & alias virtutes clericali officio ſtatúq; dignas acquireret, coleret, adaugeret.

III. Quænam autem hæ egregiæ virtutes fuerint, & quàm illuſtria earundem exempla vir ſanctus dederit, priuſquam ad Epiſcopalem Infulam perveniret; nemo eſt, qui hoc ævo ſatìs exponere vel declarare valeat: præſertim cùm ſancti homines primis Eccleſiæ temporibus, quibus ille inter mortales egit, admirabilem vitæ rectitudinem ſectarentur; & tamen communiter biographum aut ſcriptorem, qui res ab iis laudatiſſimè geſtas papyro traderet, non invenirent. Auctor anonymus ac pervetuſtus (qui ante annos octingentos & ampliùs ad Paderam vixit, urgentéq; Biſone Antiſtite quarto, vitam S. Liborii ex antiquis Cenomanenſium chartis in parvum libellum contulit) commendat in eo maximè (*c*) profundam animi demiſſionem, mo-

(*c* *Anonym. ibidem.*

deſtiam Angelicam, manſuetudinem imperturbatam, patientiam invictam, caſtitatem illibatam, fiduciam inconcuſſam, amorem Dei incenſiſſimum, perennem vitioſarum cupiditatum refrænationem (quam alii vulgò *mortificationem ſui ipſius* nominant) & quidquid amplius excellentium virtutum exigi vel deprædicari in homine conſummatæ perfectionis poteſt. Id quod etiam ſcriptor alius in veteri Cenomanenſis Eccleſiæ *Legendario* (uti vocant) breviori ſtylo complexus eſt (*d*) paucis hiſce verbis: *Ante ſuſceptam dignitatem Epiſcopalem ſe totum fecerat totius Chriſtianæ Religionis exemplum.* Tanta igitur abſolutæ ſanctitatis morúmq; integerrimorum decora, cùm in urbis totius oculis verſarentur, eum omnibus ita charum & amabilem effecêre: ut à morte S. Pavacii Epiſcopi Magiſtríq; ſui, qui tribus & quadraginta annis ante ipſum Cenomanenſis Eccleſiæ clavum laudatiſſimè temperaverat, non ſolùm à Clero; ſed etiam ab omni populo ad vacantem illius Cathedram unanimi ſuffragiorum conſenſione adſcitus fuerit.

CA-

(*d*) *To. 5. Ss. Julii pag. 407. n. 1.*

CAPUT II.

De vitâ S. LIBORII in ſtatu Epiſcopali.

I. Vetus proverbium eſt : *Mutat honor mores ; ſed rariùs in meliores.* Idq; non ſolùm in Principibus magnatibúſq; ſæcularibus ; verùm etiam in Epiſcopis & animarum Paſtoribus interdum evenire , jam pridem acerbiſſimè conqueſtus eſt S. Gregorius Papa , Homil. 17 in Evang. *Multi*, ait ille , *cùm regiminis jura ſuſcipiunt , ad lacerandos ſubditos inardeſcunt. Et quia charitatis viſcera non habent , Domini videri appetunt ; Patres ſe eſſe , minimè recognoſcunt. Humilitatis locum in elationem Dominationis immutant : & , ſi quando extrinſecus blandiuntur , intrinſecus ſæviunt.* Nihil hujusmodi querelarum ac mutationum in vitam S. Liborii cecidit, cùm Epiſcopalem Infulam ſuo vertici inſidentem vidit. *Non illum (a) tantæ dignitatis honores ſolitæ religionis mutare fecerunt mores* , ait Anonymus noſter ; *neque Eccleſiaſticorum negotiorum occupationes coëgerunt illum* , *ex quotidiana Divinæ laudis*

(a) *Anonym. in vitâ longiore c. 3. n. 9.*

& placationis ſervitute quidquam prætermittere. Imò verò novæ hujus dignitatis aſſecutio novum ei calcar & incitamentum addidit, ad altiorem Chriſtianæ perfectionis gradum adnitendi : quòd jam ex officii Paſtoralis debito ſe obſtrictum cerneret, ad curandam non modò ſalutem propriam; ſed etiam ſuarum Ovium ſacríq; Gregis Chriſtiani, cui nemo condignè ac laudabiliter præeſſe poteſt, niſi conſummatæ virtutis vitæq; penitus inculpatæ fuerit, juxta illud Apoſtoli : *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, & ſine crimine.*

II. Duo potiſſimùm ſunt, quæ ab animarum Paſtoribus, maximéq; ab Epiſcopis & Antiſtitibus poſtulat Scriptura Sacra : nimirum, ut oves ſuas paſcant probâ doctrinâ, & ſancto vitæ exemplo. Primum ex his duobus inculcat Apoſtolus, in Epiſtola 2da ad Timotheum c. 4. ita ſcribens: *Teſtificor coram Deo &* Jesu *Chriſto, qui judicaturus eſt vivos & mortuos per adventum ipſius: Prædica verbum, inſta opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Alterum verò condocet idem Apoſtolus in Epiſtola ad Titum c. 2. hiſce ver-

bis:

bis : *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate*; ne videlicet cœleſti ſanctæq; doctrinæ tuæ externa vivendi & agendi methodus adverſetur. Utrumque hoc Apoſtoli monitum in Epiſcopali munere ſuo ad amuſſim exſecutus eſt S. Liborius. Nam in primis de doctrina ejus, & explanatione Verbi Divini, præclariſſimum ei teſtimonium perhibet antè dictus (*b*) Anonymus noſter, cùm ita ſcribit : *Erat prædicationis ſtudio valde intentus : &, tanquam ſi ab Apoſtolo audiret*, prædica verbum; *ita ipſe quotidie modis omnibus auditores ſuos ad vitæ rectitudinem provocabat.* Quod autem ad ejus vitam exemplarem, traditæq; doctrinæ conformem, attinet; eam pariter ſummis in cœlum laudibus extollit idem Anonymus noſter, cùm ita pergit : *Ejus præcepta & monita id maximè populo grata & amabilia faciebat, quòd ejus vitam in nullo doctrinæ contrariam deprehendebant; ſed, quod illis ſectandum aſſerebat, evidentiſſimè in ejus moribus agnoſcebant.*

III. Quare, cùm ad ſuos ex Epiſcopali

(*b*) *Ibidem c. 3, n. 10.*

Cathedra peroraret contra ſuperbiam, velut *initium (c) omnis peccati* : videbant in eo ſimul, quòd profundam animi demiſſionem coleret, eámq; virtutem in ore, opere, & moribus omnibus præ ſe ferret. Cùm inſectaretur ambitionem & inanem gloriam hujus mundi : videbant in eo ſimul, quòd omnem hujus mundi faſtum generoſo pede protereret, nec ulla alia in re ſibi gloriandum duceret, quàm in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Cùm adversùs invidiam depugnaret, eámq; diceret eſſe partum Diaboli, *cujus invidiâ (d) mors introivit in orbem terrarum*: videbant in eo ſimul, quòd in omnes bene affectus eſſet; &, quidquid aliis proſperè vel ſiniſtrè accidebat, velut bonum malúmve proprium reputaret. Cùm de iracundia fugienda ſermonem inſtitueret, moverétq; illud Jacobi (e) Apoſtoli : *Ira viri juſtitiam Dei non operatur* : videbant in eo ſimul perfectam imaginem Chriſti manſuetiſſimi, *qui, cùm (f) malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur.* Denique, ſi dolorem nimium de jacturâ

(c) *Eccli. 10. 15.* (d) *Sap. 2. 24.* (e) *Jac. 1. 20.* (f) *1. Petri 2. 23.*

ctâ vel amiſſione bonorum temporalium pro concione publica diſſuaderet ; videbant in eo ſimul abſolutam in adverſis omnibus conformitatem cum arbitrio Divino, juxta illud *(g)* patientis Jobi : *Dominus dedit, Dominus abſtulit ! ſicut Domino placuit ita factum eſt : ſit nomen Domini benedictum.* Rem verbo : quidquid vel de laude virtutum diceret, vel contra vitiorum damna detonaret ; id etiam in ſpeculo vitæ ſuæ aut imitandum aut fugiendum exhibebat : ita ut, quiſquis illum audiret ac noſſet, præter doctrinam ejus vitæq; accommodatæ formam nullo alio ad virtutem excitamento indigeret.

IV. His ornatibus adjungebat Deus peculiarem gratiam operandi ſigna & prodigia, quibus omnia ipſius dicta & facta cernebantur adhuc aliam longè efficaciorem è cœlo confirmationem accipere. Nam, ut in brevi epitome vitæ ejus *(h)* apud Bollandū legitur, per ejus adhuc viventis merita clementiſſimus Deus perſæpe cœcis viſum, ſurdis auditum, energumenis liberationem à Dæmone inquilino, multiſq; aliis debilibus, ægris,

(g) *Job. 1, 21.* (h) *to. 5. Ss. Julii. pag. 407. n. 3.*

ægris, & languentibus, perfectam corporis & membrorum ſuorum ſanitatem reddidit. Id quod in ſuorum Cenomanenſium, aliorúmq; populorum confinium animis, tam exoptatum Chriſtianæ Religionis incrementum peperit, ut ipſorum complures (qui alioquin ſuaviſſimo Chriſti jugo cervicem ſuam ægerrimè ſubmiſiſſent) ejuſmodi miraculorum frequentiâ & magnitudine convicti, vel è cæca gentilitatis caligine ad ſplendorem Fidei Chriſtianæ ſe converterint; vel certè à diſtortis corruptiſq; moribus ad integrioris vitæ rectitudinem, non ſinè magno ſancti viri ſolatio, ſe receperint.

CAPUT III.

De Eccleſiis à S. LIBORIO conſtructis, et beata ipſius morte.

I. Quid jam porrò dicam de reditibus Epiſcopalibus, & pientiſsima eorundem adminiſtratione? Erant ii quidem primævis hiſce temporibus apprimè tenues: nec ferè aliis in rebus conſiſtebant; quàm in aliquibus decimis, ac donationibus volunta-

luntariis, quas piorum fidelium liberalitas offerebat. Nihilo minùs tamen, quidquid ex iis viro ſancto poſt frugalem ſuî & ſuorum Clericorum alimoniam *(i)* ſuperfluebat, id omne vel inſumpſit in egenos & pauperes, quorum opitulationi impensè addictus erat; vel in ædificationem novarum Eccleſiarum in iis locis, quæ hucuſque Divinis Officiis deſtituta fuerant. Certè Scriptores omnes, qui vitam ejus in veteres tabulas retulêre, unanimi voce & calamo tradunt, quòd intrà quadraginta novem annos laudatiſsimi regiminis ſui, ſeptendecim Templa ſuo potiſsimùm ære fabricaverit; ſinguliſq; illis neceſſarios Eccleſiæ Miniſtros, unà cum rebus omnibus ad ſuſtentationem congruam requiſitis, attribuerit. Quin & intrà eoſdem annos manu propria celebrâſſe legitur *(k)* Ordinationes nonaginta ſex, in quibus conſecravit Sacerdotes ducentos & ſeptendecim, Diaconos centum & ſeptuaginta ſex, Subdiaconos nonaginta tres, præter innumeros alios inferiorum graduum Adminiſtros.

II. Inter hæc pia ſanctáq; opera tandem ingreſ-

(i) *Anon. in vita long. c. 4. n. 12.* (k) *ibid. n. 14.*

ingreſſus eſt annum ſui Epiſcopatûs (*l*) quinquageſimum : quo Deus fideliſſimo Paſtori meritorum ſuorum coronam imponere; & loco terreſtris Jubilæi aliud multò illuſtrius Jubilæum in cœlis adornare conſtituerat. Initium huic in cœlum itineri dabat exitioſa corporis ægritudo : quæ languidulis multóq; ſenio jam debilitatis artubus brevi tempore robur omne ſic detrivit, ut facilè perſentiſceret ipſemet, ſe non modò ad extremam vitæ lineam decurrere ; verùm etiam depoſitionem tabernaculi ſeu corpuſculi ſui velocem fore. Quapropter (*m*) moritura membra cilicio imponi juſſit, atque in ea defecti corporis habitudine inter ardentiſſimas preces & cœleſtia ſuſpiria præſtolatus eſt adventum Domini ſui : à quo ſperabat ſe propediem auditurum hæc beata ſuaviſſimáq; verba Matth. 25. *Euge! Serve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam : intra in gaudium Domini tui!*

III. Interea Deus per ſanctos Angelos ſuos (*n*) admonuerat B. Martinum Epiſcopum

(*m*) *Vita brevior to. 5. Ss. Julii pag. 407. n. 4.*
(*n*) *Anonym. in vita long. c. 5. n. 16.*

pum Turonenſem, ut acceleratis itineribus feſtinaret Cenománum; ibíq; in extremis aſſiſteret B. LIBORIO, in viam æternitatis abituro. Etenim ambo illi viri ſancti hucuſque ſemper ſingulari charitatis affectu conjuncti fuerant: erátq; inter eos tam arctæ neceſsitatis vinculum, ut non modò (*o*) frequenter ſolerent convenire & colloqui; ſed etiam alter ab altero perfectæ ſanctitatis exemplum ſumere. Martinus igitur, huic mandato pariturus, continuò ſe accingit itineri, Cenománum properat, LIBORIUM ab extrema vitæ linea non procùl diſtantem reperit. Ac tametſi ille, conſuetis Eccleſiæ Sacramentis jam præmunitus, nihil aliud in mente volveret, quàm æterna cœlorum gaudia, ſibi protinus obventura: ex adventu tamen ſanctiſsimi hujus viri tam inſperato gaudio perfuſus eſt, ac ſi Angelum de cœlo miſſum accepiſſet.

IV. Quænam exinde, & quàm ſuavibus animæ ſuſpiriis interfuſa colloquia, inter hos ambos agitata fuerint, priuſquam urgente mortis hora ab invicem divellerentur; non arbitror, humano calamo ſatìs aptè

(*o*) *Vita brevior loc. cit. n. 3.*

aptè & examuſsim deſcribi poſſe. Atque ideo cum Anonymo (*p*) Scriptore noſtro, cujus antea perſæpe memini, rotundè fateri cogor: *Hìc neceſſe eſt, ut ſermo noſter deficiat; quia neminem dignè conſtat poſſe referre, quàm divina, quàm ſpiritualia, quàm cæleſtia fuerint eorum colloquia.* Id verò certiſsimum eſt, eorum ſermones non fuiſſe de rebus aliis, quàm de futurorum bonorum ſpe, de virtutum præmio, de cœleſti gloria, de animarum beatitudine, de viſione Dei, de amoribus æternis, de beatorum Angelorum conſortio. Et in his aliíſq; cœleſtibus deſideriis, anima S. LIBORII circa annum Chriſti trecenteſimum nonageſimum terreno corpore exuta eſt; abíitq; ad immarceſsibilem illam coronam gloriæ, quam paravit Deus diligentibus ſe.

V. Subinde S. Martinus Epiſcopus magna ſollicitudine curavit omnia, ad inhumandum funus neceſſaria: quantíſq; honoribus & apparatu potuit, exanime corpus ſepulturæ tradidit in Eccleſia ſanctorum Apoſtolorum; olim à S. Juliano Cenomanenſium primo Epiſcopo extra urbem ædifi-

(*p*) *In vita long. to. 5, Ss. Iulii c. 5. n. 16.*

ædificatâ. Ibi ſacra ipſius oſſa, tametſi adhuc infra terram latitantia, cœpêre ſtatim operante Deo quàm plurimis prodigiis inclareſcere; & in curatione cœcorum, ſurdorum, claudorum, aridorum, aliorúmq; languentium, tam admiranda ſigna perpetrare, ut nullum penè morborum aut cruciatuum genus fuerit, quod non ſæpe ſæpiùs ad ſepulchrum ſancti hujus Epiſcopi ſanitatem aut medelam invenerit. Teſtem omni exceptione majorem hîc produco Auctorem vetuſtiſſimi manuſcripti, in theſauro Cenomanenſis Eccleſiæ reconditi, quod ita habet: *Poſt ejus (q) obitum, tribuente Domino, in prædicta Eccleſia juxta ejus ſepulchrum innumerabilia ejus meritis claruerunt ſigna: cæcos videlicet innumerabiles illuminando, claudos reſtituendo, dæmonia ejiciendo, leproſos curando, infirmos ſanando, ſurdis auditum præbendo, & aliis multis atque innumerabilibus ſanitatem largiendo. Nomina verò prædictorum debilium & infirmantium propter prolixitatem hîc non deſcripſimus. Tamen tanta ejus meritis viſa ſunt ſigna; quanta, ùt reor, tres aut quatuor quaterniones non poſſunt capere.*

(q) *Vita 2da brevior to. 5. St. Julii, pag. 408. n. 5.*

re. Benedictus Deus! qui in Sanctis ſuis ita laudari ac glorificari voluit, per JESUM Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

PARS SECUNDA.

De elevatione S. LIBORII,

& Sacrorum ejus oſſium translatione ad Paderam.

CAPUT I.

Quomodo S. LIBORII oſſa à Cenomanis petita, & impetrata ſint.

I. Poſtquam Carolus M. Saxonũ ſeu Weſtphalorum & Oiſtphalorum Domitor, anno 814 è vivis emigrâſſet; nec multò pòſt etiam B. Hathumarus, Paderbornenſium primus Epiſcopus, è terreno corpore ad Superos evocatus eſſet: ſucceſſit ei vir egregius, B. Baduradus Nobilis Saxo, qui in his ferè terris (*a*) perilluſtri Familia genitus, & in Cathedrali Eccleſia ſupra fontes Paderæ primorum Canonicorum gremio jam pridem inſertus fuerat. Hic non modò præclariſſimis Hathumari deceſſoris ſui veſti-

(*a*) *Anonym. in Hiſt. translat. to. 5. Ss. Jul. c. 5. n. 8.*

veſtigiis inſiſtebat; verùm etiam creſcente fidelium numero, ſatagebat ubique in locis opportunis nova Templa fabricare, Parœcias condere, Curatores animarum conſtituere, multitudinem Sacerdotum adaugere, cæteráq; omnia, quæ ad Chriſtianæ Religionis florem & virorem promovendum facere videbantur, ſumma cum induſtria procurare. Quoniam verò pervidebat ſimul, antiquioribus Eccleſiæ ſæculis ad augendam Chriſtiani Gregis devotionem non parùm contuliſſe multiplicia ſigna & miracula, quæ ad ſacras beatorum Præſulum Martyrúmve tumbas Divina virtus operata fuerat: ſollicitiſſimè ſecum animo volvere ac perveſtigare cœpit, quâ ratione Thaumaturgum hujuſmodi viri ſancti corpus peregrinis è terris petere, atque ad Paderbornenſem Eccleſiam ſuam transferre poſſet.

II. Subinde etiam, ut faciliùs hac in re ſuorum compos deſideriorum fieret; in toto Epiſcopatu ſuo commune jejunium indici juſſit unà cum ſupplicatione precibúſq; publicis, per quas Divinam voluntatem in ſua vota proſperúmq; (*b*) eventum flecteret.

(*b*) *Anon. ibid. n. 9. & 10.*

ret. Nec ſurdas reperit cœlorum aures. Nam paulò pòſt, neſcio qua cœleſti monitione, indicavit ei Deus: *Mitteret ſuorum aliquos Cenománum in Gallia, ibiq; theſaurum à ſe optatum peteret ab Aldrico iſtius urbis Epiſcopo: certò fore, ut ab ipſo impetret, quod hucuſque tantis deſideriis flagitâſſet.* Baduradus, promiſſione tam benigna fultus, curavit ſibi primùm expediri literas comendatitias à Ludovico *Pio* Imperatore, apud quem non parva utebatur gratia. Deinde & inſignem legationem è Clero ac Nobilitate Paderana ad Cenomános miſit; intérq; alios è Cathedralis Eccleſiæ choro S. Meinolphum Diaconum (ùt aliqui Scriptores memorant) & Jdónem Preſbyterum, virum induſtrium, & apprimè doctum: è cujus teſtimonio relictiſq; ſcriptis univerſa Liborianæ translationis Hiſtoria, Biſonis (*c*) Epiſcopi juſſu, fideliſſimè extracta, & perennibus chartis mandata eſt. Hi, ùt anno poſt Chriſtum natum octingenteſimo triceſimo ſexto, die jovis viceſimâ ſeptimâ Aprilis, Cenománum in Gallias (*d*) ad Aldricum Epiſco-

(*c*) *Rexit ab anno circiter 887.* (*d*) *Anon. in Hiſt. translat. to. 5. Sı. Julii c. 4.*

Epiſcopum pervenêre; poſt porrectas Ludovici Imperatoris & Baduradi Antiſtitis literas primo ſtatim acceſſu tam facilem ipſius aurem nacti ſunt, ut è plurimis Divûm corporibus, quæ ibidem ſervabantur, S.LIBORII Epiſcopi & Confeſſoris corpus iiſdem tradere conſtituerit.

III. Poſtridie manè S. Aldricus Clerum urbis totius convocat, petitionem Legatorum proponit, Ludovici Imperatoris commendatitias exhibet, ac demum, non ſine magnis difficultatibus, Clericorum præſentium animos in ſua vota inclinat. Tum deinde cum iiſdem (e) ad Eccleſiam ſanctorũ Apoſtolorum ante urbem progreditur, ſepulchrum S. LIBORII ibidem aperit, oſſa viri thaumaturgi de terra levat, eáq; ſummis cum honoribus in Cathedralem urbis Baſilicam deferri jubet: ubi etiam tota ſequenti die (quâ ab omnibus ex Epiſcopali præcepto jejunari debuit) ad venerationem cultúmq; publicum expoſita remanſêre. In utroque illo, tam exhumationis, quàm tranſportationis actu, Servum ſuum Deus multis magníſq; miraculis, ante urbis totius

(e) *Ibidem c. 4.*

oculos, rurſus illuſtrem reddidit. Et primò quidem, cùm ſacra ipſius oſſa de ſepulchro levarentur, tam inuſitatæ ſuavitatis odor (*f*) ab iiſdem illico profluxit, ut amœnitatem odoramentorum omnium, quæ in terris naturâ vel arte fiunt, longiſſimè antecelleret. Simul etiam energumenus, diu à Dœmonio diriſſimè vexatus, momento temporis liberari; & cœca mulier, quæ ab annis plurimis videndi poteſtatem non habuerat, perfectò oculorum uſu potiri cœpit. Nec minora fuerunt ſigna illa & prodigia, quæ in Eccleſia Cathedrali, poſt importationem Liborianorum oſſium, operante Deo contigêre. Nam & ibi primùm vir utroque pede claudus, cùm orationis inchoandæ cauſâ caput inclinâſſet, B. Liborii patrocinio amborum crurium integritatem recepit. Paulò pòſt homo mutus, cui vel catharrus aliquis, vel alia capitis afflictatio, loquendi uſum diu interdixerat, ab eo linguæ impedimento feliciter exſolutus eſt. Poſtremò etiam (*g*) vir alius, qui ab infantia ſua, propter diſtortos aridóſq; pedes, ad ambulandum vel incedendum ſe attol-

(*f*) *Ibidem.* (*g*) *Ibid. n. 17.*

attollere non potuerat, ibidem apud Reliquias S. LIBORII tam plenè & integrè convaluit, ut recepto in utrumque pedem vitæ ſucco, ante omnium adſtantium ora rectiſſimis cruribus ambulaverit, cucurrerit, ſubſultârit.

IV. Sequenti die (nimirum ſolis, triceſimâ Aprilis) cùm in æde Cathedrali Matutinæ Laudis Officium, luceſcente jam aurora, penè decurſum eſſet; rurſum energumenus *(h)* ope S. LIBORII à Dæmonio liberatus, & alius, ab ortu ſuo cœcus, exoptatâ amborum oculorum luce donatus eſt. Subinde urgente S. Aldrico Epiſcopo ſolennis *Miſſæ* Sacrificium feſtivo cantu inchoari cœpit; eóq; finito, pientiſſima ſupplicatio *(i)* per urbem inſtitui, campanæ omnes in Eccleſiis compulſari, Clerus urbicus ad comparendum acceſſi, venerandum corpus in humeros tolli, à Sacerdotibus deferri, à civibus conduci, ab omnibus honorari, maximâq; pompâ in S. Vincentii Templum, portæ urbis vicinum, importari. Ibi verò in conferta multitudine hominum,

 quos

(h) *Anonym. in Hiſt. Tranſl. apud Bolland. c. 4. n. 18. & 19.* *(i)* *Ibid. c. 5. n. 20.*

quos miraculorum prædictorum fama penè ex locis omnibus huic urbi circumfuſis convocaverat, clamor ingens exortus eſt multorum conquerentium (*k*) ac murmurantium: *non oportere, theſaurum hunc tot prodigiis Divinis inclytum à ſe dimitti, populóq; extraneo & ignoto in manus tradi; ne fortè ſuperna benedictio Cenomános deſerat, eóſq; divinis beneficiis indignos reddat.* Quo audito S. Aldricus Epiſcopus, ejuſmodi turbas compoſiturus, repentè ſe in ſacrum ſuggeſtum extulit; indictóq; manu ſilentio, ad populum circumſtantem hoc modo breviter peroravit:

V. *Chariſſimi Fratres in Chriſto! Non ignotum eſt vobis, quanta corporum (l) oſſiúmq; ſacrorum copia apud nos in variis Eccleſiis requieſcat. Contrà verò hi Peregrini ac Neophyti, quorum Legatos hìc ante oculos veſtros intuemini, magnam eorundem penuriam ac defectum ſentiunt. Idcirco potentiſſimus Imperator noſter Ludovicus, & pientiſſimus eorum Antiſtes Baduradus, commendant eos nobis, & impensè cupiunt, ut ipſorum inopiæ ex abundantia ac plenitudine noſtra ſuccurramus. Quomodo*

(*k*) *Ibid. n. 21.* (*l*) *Ibid. n. 22.*

modo igitur nos in ipſos tam duri & immites eſſe poſſumus, ut huic eorum petitioni audeamus repugnare, fratribúſq; noſtris indigentibus Chriſtianæ charitatis viſcera prorſus occludere? Multitudo miraculorum, quæ in oſſium LIBORIANORUM *elevatione ac translatione per hoc biduum contigêre. non debet à vobis accipi velut ſignum, quòd hic theſaurus in urbe noſtra retineri; ſed quòd iis, qui eundem ex peregrinis longéq; diſſitis regionibus tam ardenter expetierunt, ſine tergiverſatione tradi ac deferri debeat. Imò verò propterea Deus in hac elevatione ac translatione* LIBORIani *corporis tot ſigna vobis de cælo præſtitit, ut quaſi digito ſuo commonſtraret, conſilium hoc propoſitúmq; noſtrum ſibi ex animo gratum & ratum eſſe. Nec enim fieri poteſt, ut Deus edat miracula ad confirmandum id, quod ipſe improbat; ſed tantùm ad id, quod ipſe probat ac ratum habet. Cæterùm nolite arbitrari,* S. LIBORIUM *nunc à nobis totum recedere. Nos enim adhuc retinuimus brachium ipſius dexterum: certíq; eſtote, nunquam fore, ut hic Sanctus noſter potenti patrocinio ſuo eos deſerat, apud quos tempore tam longo vixit, rexit, & quievit.*

VI. His aliíſq; dictis, cùm omnino po-

pulus acquieſceret, Hymnus Ambroſianus unanimi voce ab omnibus decantatur, LIBORIANŨ corpus in Eccleſia prædicta pientiſſimè cuſtoditur, Paderbornenſium Legatorum profectio in diem proximum procraſtinatur, & interea temporis inter utrumque Collegium Cathedrale, Paderbornenſe videlicet ac Cenomanenſe, conſtituitur amicum illud perpetuæ Societatis aut Fraternitatis vinculum, de quo Anonymus noſter in Hiſtoria Liborianæ translationis (*m*) hoc modo loquitur: *Dehinc inter utriuſque Eccleſia, Cenomanica videlicet, & præfata Paderbornenſis Congregationes, perpetua fraternitatis charitas firmata eſt.* Quid autem commodi & utilitatis hæc amica fraternitas Paderanæ Eccleſiæ poſtmodùm attulerit; ac maximè quidem ſuperiore Sæculo, cùm Diœceſis tota in præſentiſſimo ſubverſionis & alienationis periculo ſtaret: alio in loco infrà, Parte 5ta c. 1. n. 6. uberiùs oſtendetur.

(*m*) *Anon. in Hiſt. Translat. apud Bolland. c. 6. n. 24.*

CA-

CAPUT II.

De Divinis Prodigiis, apud Reliquias S. LIBORII perpetratis in via, Carnotum & Pariſios uſque.

I. Vix diei ſequentis aurora novam de cœlis lucem devocaverat, cùm B. Aldricus Epiſcopus ad prædictam S. Vincentii ædem revertitur, ſacras Divi LIBORII exuvias Paderanis Oratoribus tradit, iiſdem abiturientibus humanitate maxima vale extremum dicit; ac demum iis, tam in ſuas, quàm in omnium futurorum Antiſtitum (*a*) & Cathedralium Canonicorum conſcientias, graviſſimis obteſtationibus commendat, ut ſancti hujus Patroni oſſa condigno ſemper in honore habeant, nec unquam ſinant, venerationem ejus cultúmq; debitum, ſuâ incuriâ vel neglectu, ad Paderæ fontes intercidere. Quo peracto, Paderani Oratores cum iterata gratiarum actione profundiſſima eodem mane (nimirum die Lunæ Kalendis Maji) Cenomano diſceſſêre, capientes viam verſùs Carnotum vel Carnutum, vulgò *Chartres*, urbem Epiſcopa-

(*a*) *Ibidem c. 9. n. 24.*

copalem in Regno Galliæ. In hoc itinere Deus ferè in locis omnibus, quà tranſeundum fuit, egregia S. LIBORII merita continuò novis maximíſq; ſignis in plebem evulgavit: auctórq; eſt anonymus quidam in veteri (*b*) Cenomanenſis Eccleſiæ *Legendario* (ùt ibidem vocant) in hac brevi profectione, à Cenománis uſque ad Carnutes, ſeptuaginta & ampliùs infirmos, vario morborum defectuúmq; genere laborantes, ad optatiſſimam ſanitatem rediiſſe.

II. Horum præcipui ſunt, qui ſequuntur. Vir à matris utero ſurdus ac mutus, dum in conſpectu ſacrorum Officium (*c*) caput inclinaret, manus expanderet, cœlum ſuſpiceret, lachrymis & gemitibus multis Deum invocaret; ſe repentè ſic è cœlo percuratum ſenſit, ut momento temporis coram omni populo circumfuſo & audire & loqui cœperit. Deinde mulier, quæ, neſcio quo corporis aut humoris vitioſi malo, multis annis nullum alimenti genus admittere vel deguſtare potuerat; prope Ædem S. Medardi ad Liborianas Reliquias pervenit

ægra,

(*b*) *Apud Bolland. to. 5. Ss. Julii, pag. 426. n. 7.*
(*c*) *Hiſt. Transl, apud Boll. c. 6. n. 26. & ſeq.*

ægra, & rediit perfectè ſana. Neque hæc morbi ſpecies cuiquam incredibilis videri debet: cùm è variis Hiſtoriis conſtet, ejusmodi languorem ſtomachi compluribus, maximéq; fœminis, naturaliter accidiſſe, utì fusè oſtendit Philippus Sechtlenus in libello, cui titulus eſt: *Lapis Lydius inediarum prodigioſarum.* Denique, ut alia multa prætermittam, ſub eodem itinere Mendicus quidam ruſticano viliq; carro adductus eſt, cui naturæ invidia totum penè corpus ita pravum ac detortum fecerat, ut & genua ejus jungerentur pectori; & omnes digiti, ſupra depreſſos pollices introrſum flexi, in manuum ambarum volâ infixis unguibus carnem admorderent. Quàm primùm verò miſer iſte ad S. LIBORII opem cum ingenti fiducia ſe convertit; auxilium adeò repentinũ ejus patrocinio conſecutus eſt, ut erecto corpore ſtatim aſſurrexerit, de carro ſuo deſilierit, coram Oſſibus Thaumaturgis in genua ſe devolverit, cordéq; ſimul & ore pro iſtius beneficii magnitudine ſingulares Deo gratias exhibuerit.

III. Sub hoc jucundiſſimo tot cœleſtium ſignorum & prodigiorum comitatu,

Legati

Legati noſtri cum ſacro theſauro ſuo (d
pervenerunt Carnotum, urbem Galliæ ſa
tìs amplam & populoſam : ubi tunc tem
poris Bernuinus Præſul, vir ætate moribúſq
gravis, Epiſcopalem Cathedram obtineba
Hic, ùt primùm audiit, S. LIBORII Anti
ſtitis oſſa de Cenománis adventare; cum
omni Clero ſuo, qui tum fortè Synodi cele
brandæ cauſâ collectus erat, extra urbem
ſe effudit, Paderanis Legatis procùl obvi
am proceſſit, Liborianum corpus devotiſ
ſimè excepit. & inter amœnos Cleri popu
líq; frequentiſſimi concentus, ad Eccleſiam
S. Carauni, quæ ad urbis muros conſtruct
erat, feſtivâ campanarum omnium com
pulſatione deduxit. Ibi rurſus benigna ma
nus Omnipotentis coram tota multitudin
virtutem ſuam prodidit; optatámq; ſani
tatem tot infirmis & ægrotis præſtitit, u
hujuſmodi prodigia ſigillatim adnotare
propter eorum frequentiam ac multiplici
tatem crederetur fore ſupervacaneum. Ce
leberrimum præ cæteris fuit, quod ibidem
contigit Puellæ afflictiſſimæ, cui natura pa
rens jam à primis incunabulis tam Nover
can

(d) *Hiſt. Tranſl. ibid. c. 7. r. 31. & ſeq.*

çam ſe exhibuerat, ut membris omnibus velut in globum contorta, non potuerit unquam, vel à genibus mentum abſtrahere, vel à femoribus pedum ſuorum plantas amovere. Hæc ubi ad arcam, ſacrorum Offium cuſtodem, aliorum brachiis perducta eſt; continuò ſenſit B. Liborii patrocinium, Omnipotentis Dei virtutem operatricem, diſtortorum artuum extenſionem prodigioſam, ac demum totius corporis rectitudinem adeò perfectam, ut ſpectatores omnes, qui ibidem frequentes aderant, ſubitaneâ præteritæ curvitatis & membrorũ immutatione in ſtuporem ageret.

IV. Carnoto promotum eſt iter versùs Pariſios, urbem hodierno tempore totâ Europâ celebrem: ubi pariter (e) Venerabilis Præſul Ercanradus, qui Pariſino Epiſcopatui præerat, adventantium Reliquiarũ theſauro proceſſit obviàm; eúmq; maximis honoribus, comitante Clero populóq; frequentiſſimo, in primariam urbis Eccleſiam introduxit. Ibi dum è locis vicinioribus adferretur mulier ab ortu ſuo dœmoniaca, ſurda, & muta; cœpit illa ſub Divino Sacri-

(e) Ibidem c. 7. n. 33.

Sacrificio miſerandum in modum furere
ſudare, ſpumare, vociferari, & cum ingen
ſtrepitu in terram ruere : ita ut oportueri
eam tunc, ſine ulla malorum ſuorum all
vatione, de Cathedrali templo in diverſc
rium reportare. Neque tamen idcirco om
nis impetrandi auxilii ſpes abjecta eſt. Ci
ca veſperum cœperunt hi, qui curam ipſ
us geſſerant, eam rurſus Cathedrali templ
inferre, coram arca S. Liborii in genu
provolvi, totam noctem in precibus exige
re, multiſq; gemitibus & ſuſpiriis Deum ol
teſtari, ut B. hujus Epiſcopi patrocinio mu
lierem tam afflictam ab ejuſmodi miſeri
liberet. Et ecce rem dictu miram! Ev
luto noctis curriculo, ſtatim atque ab aur
ra cœlum purpuraſceret; excedebat è mu
lieris corpore malè fauſtus Dæmon, redib
audiendi facultas, prodebat ſe loquendi vi
& cum eâ ſimul integerrimus membroru
omnium ſenſuúmq; vigor.

V. Non abſimile miraculum accideb
in via, cùm Legati noſtri diſcederent Pa
ſiis, itérq; facerent juxta *Montem* vicinun
quem appellant *Martyrum*: ſive juxta mo
tem illum, in quo olim S. Dionyſius Pa
ſioru

ſiorum Apoſtolus, cum Sociis ſuis Ruſtico & Eleutherio, Martyrium pro Chriſto pertuliſſe creditur. Nam & ibi viſus eſt vir, à puero ſurdus *(f)* ac mutus, de Monaſterio S. Dionyſii accurrere, ad Oſſium LIBORI Anorum tumbam accedere, pro impetranda ſancti hujus Antiſtitis ope ſupplices manus in cœlum protendere, & repentè ab ambobus hujuſmodi malis tam ſubitaneo prodigioſóq; modo liberari, ut non modò populi ſupplicantis voces potuerit audiendo percipere; ſed etiam inter iteratas gratiarum actiones loquendo imitari.

(f) Ibid. c. 7. n. 34.

CAPUT III.

Quomodo S. LIBORII Oſſa per Belgium deducta ſint uſque ad Rhenum, & inde Paderbornam.

I. E Galliis cum Theſauro ſacro proceſſum eſt in Belgium, conſectante illuc frequentiſſimâ Sequanorum, aliorúmq; Francorum multitudine; quam inuſitata cœleſtium ſignorum aſſiduitas quotidie longiùs, ac longiùs ad proſequendum illud

iter invitabat. *Venerabiles Reliquias* (verba ſunt (*a*) Scriptoris Gallici) *comitabatur maxima Gallorum multitudo, & uſque ad Rhenum fluvium devotiùs proſequebatur: tantò patientiùs anguſtias itineris toleratura, quantò ſæpius collata miraculorum beneficia illis blandiebantur.* Duo ſolùm è tam multis miraculis adnotavit Anonymus noſter, qui ante octingentos & ampliùs annos LIBORIanæ translationis Hiſtoriam ex Idónis Preſbyteri manuſcriptis contexuit. Primum ex iis in Belgio contigit apud aliquem fluviolum, cujus nomen in Hiſtoria prætermiſſum eſt. Hunc illi quatuor portitores, qui poſteriorem ſacræ tumbæ feretríq; partem ſuis humeris impoſuerant, viâ rectâ pervadere volebant; uti jam plures alii Peregrinorum comitantium in loco admodùm vadoſo fecerant. Cæteri verò quatuor, qui anteriorem ejus partem geſtabant (cùm in hoc ſacro obſequio pedes ſuos madefacere detrectarent) longiori circuitione uſi, deflectebant procùl à communi via ad locum alium, ubi rivulus arctiore alveo conſtrictus, ligneóq; ponticulo inſtratus erat. Sed hujus

(*a*) *In Hiſt. breviore Tranſl. apud Boll. n. 10.*

jus diverticuli inquiſitio delicatulis ejuſmodi gerulis (*b*) non parvæ confuſioni & noxæ fuit. Vix enim ponticulum à ſe quæſitum primo veſtigio preſſerant; cùm ille ſub eorum pedibus repentè cœpit ſubſidere, & omnes quatuor in ſubterlabentem alveum ita detrudere, ut, qui pedem vel calceum humectare non voluerant, nunc toto corpore in aquis merſi, largiſſiméq; perluti fuerint. Quod autem in hoc eventu maximè portentoſum, & ſupra fidem rerum humanarum erat; cadentibus illis, pars anterior iſtius feretri cum LIBORIANA tumba non cadebat: ſed, quaſi humeris Angelorum ſuccollata, aut alio quodam inaſpectabili ſuſtentaculo ſuffulta foret, ſinè omni vacillatione tam diu manſit in aëre pendula, donec alii quatuor portitores accederent, humeróſq; ſuos prodigioſo huic oneri ſupponerent.

II. Non longè ab eodem loco mulier (*c*) Bavacenſis, quæ jam quindecim annis à Dœmone obſeſſa fuerat, S. LIBORII invocatione & patrocinio hoſpitem infeſtum

C 2 expu-

(*b*) *Hiſt. longior Transl. apud. Bolland. c. 8. n. 35.*
(*c*) *Bavácum, vulgò Bavay, Oppidum Hannoniæ,*

expulit. Ac tametſi id genus beneficiorum in hoc itinere admodùm commune fuerit; ſingularẽ tamen admirationem plauſúmq; meruit inſueta illa gratiarum actio, quam hæc mulier omnipotenti Deo, ſanctóq; LIBORIO ſoſpitatori ſuo, exhibere ſtatuit. Erat hæc loco non obſcuro genita; nec deerant ei ſufficientia fortunæ bona, quibus longè commodiùs domi in patria ſua vivere, quàm in ſolo peregrino poterat. His tamen omnibus minimè retardata, vovit ocyùs Divino tantùm *(d)* ſervitio ſe addicere; nec uſquam alibi, quàm apud arcam, LIBORIanorum Oſſium conſervatricem, in terris degere. Neque tardior in hoc voto exſequendo, quàm in edendo vel emittendo fuit. Mox enim illa ſuis parentibus valedicere, natale ſolum deſerere, LIBORIani corporis Reliquias Paderbornam aſſectari, Divino ibidem famulitio ſe totam dedere, & in eò reliquis vitæ annis perenni cum devotione tam diu permanere, donec poſtmodùm expleto mortalitatis humanæ curriculo, in optata beatáq; pace requieſceret. Quod attinet ad cætera mirabilia, quæ in

(d) *Ibid. c. 8. n. 36.*

in Belgio per decurſum hujus itineris cœlitus oſtenſa ſunt, utendum eſt mihi illis (e) Anonymi noſtri verbis : *Circa hæc eadem loca, etiam alia plurima ſunt in via oſtenſa miracula ; ſed nobis* (Legatos noſtros) *feſtinantes ad Patriam ſtylo proſequentibus, non vacat in ſingulis immorari.*

III. Abierant intereà quatuordecim ferè dies, dum è Pariſiorum finibus ad Rhenum perveniretur, qui ea tempeſtate Franciam à Saxonicis Provinciis abſcindebat. Convenerat illuc ingens multitudo populi è diverſis (f) nationibus & linguis. Nam ab uno Rheni littore ſtabant homines innumeri ex Gallia, Belgio, & aliis terris, Pariſios inter & Rhenum ſitis : ab altero verò ſtabant pariter innumeri Saxones, quos laureata Caroli Magni Imperatoris dextera ante annos non multos ad Catholicam Fidem adduxerat. Illos ad comitatum adeò diuturnum invitaverat magnitudo prodigiorum ; quæ ſuiſmet oculis de die in diem contemplati fuerant : hos verò in occurſum exciverat magnitudo & frequentia miraculorum præteritorum, quæ prævolante

 fama,

(e) *Ibid. n. 36.* (f) *Ibid. n. 37.*

fama, rerum alibi geſtarum narratrice, jam ſatis liquidò compererant. Illis theſaurus ſacer, quem hucuſque tanto regionum intervallo proſecuti fuerant, non ſinè mœrore ac triſtitia relinquendus erat: His autem ineffabili gaudio ſubſultabat cor, quòd tandem illuceſceret optatiſſima dies illa, quâ pretioſum hunc theſaurum ad ſe recipere, & ad ſtationem deſignatam conducere vel comitari poſſent. Illi, poſtquam ſacra Oſſa in navim importata fuerant, prono corpore in terram provoluti, non ſinè multis lachrymis ac gemitibus B. LIBORII patrocinio devotiſſimè ſe commendabant: Hi verò, ùt primùm ſacra Oſſa in adverſum littus exponebantur, pari devotione priùs in terram procumbentes, ſuſcipiebant ea cum ingenti jubilo; & inter aſſiduas gratiarum actiones, cantúſq; ſpirituales, pientiſſimè deducebant uſque ad fontes Paderæ, locum indè à LIBORIano præſidio magìs, quàm à perenni pulcherrimarũ aquarum ſcaturigine, aut circumfuſi aëris ſalubritate inclytum.

IV. Manè, die viceſimâ octavâ Maji, in ſolemni feſto Pentecoſtes, tota comitanti-

um

um populorum turba conſiſtebat ad amnem (g) Hederam, qui duabus horis majoribus ab urbe Paderborna Saltzkottenam oppidum præterlabitur. Et quia tanta hominum affluentium copia in unam Eccleſiam cogi nequaquam poterat; ſacroſancta (h) Miſſarum ſolemnia priùs, quàm ex eo loco ad Paderæ fontes procederetur, ſub dio celebrata ſunt. Hîc verò iterum Divina bonitas coram omni plebe inexhauſtos Omnipotentiæ ſuæ theſauros explicuit. Nam ſub iſto Catholicæ Religionis exercitio rurſus quinque homines à diverſis infirmitatibus B. LIBORII patrocinio convaluêre. Et, quod ampliùs demirandum eſt, eâdem horâ Paderbornæ in Eccleſia Cathedrali juvenis quidam, à prima ætate ſurdus & mutus, non modò fandi & audiendi facultatem à Deo conſecutus eſt; verùm etiam (ùt in breviore tranſlationis (i) Hiſtoria legitur) clariſſimis apertiſſimiſq; vocibus propalam edixit, procedendum eſſe foras: *Deſideratiſſimi Interceſſoris ac Patroni tutelaris corpus non procùl ampliùs diſtare.* Quo

C 4 audi-

(g) *Vulgò* Heder *vel* Heyer. (h) *Ibid. c. 9. n. 38.*
(i) *Apud Bolland. to. 5. Ss. Julii pag. 420. n. 12.*

audito Clerus omnis (nam Epiſcopus tum in Cæſaris obſequio detentus aberat) unà cum tota plebe continuò ſe in viam dedit. Cúmq; ad loculum, ſacri corporis cuſtodẽ, poſt iter ferme horarium perveniſſet; primùm omnes, qui Paderbornâ venerant, in terram ſe dejicientes, tutelarem Patronum ſuum pientiſſimè de genibus venerati ſunt. Deinde verò hi, qui è Clericorũ occurrentium numero conſtituti erant, à Legatis Cenománo redeuntibus adductum pignus in humeros accepêre; eadémq; die Pentecoſtes, cum incredibili gaudio in Cathedralem Eccleſiam importârunt: ubi adhuc uſque in præſentem horam honorificentiſſimè colitur & cuſtoditur.

V. In pomario Paderbornenſis Collegii Societatis JESU etiam nunc viſitur pervetuſtum Sacellum S. LIBORII, de quo communis opinio fert, quòd Reliquiæ LIBORIanæ in adventu ſuo ibi paululùm reclinatæ; ſtatímq; poſt, cùm innumera multitudo populi in vicino S. LIBORII colliculo (*k*) meliorem in ordinem diſpoſita eſſet, rurſus in humeros ſublatæ, & elegantiore pro-

(*k*) *Vulgò*, Liborius-Berg.

procedendi methodo in Cathedralem Eccleſiam illatæ fuerint. Nihil quidem hac de re meminerunt manuſcripta vetera: ex aliis tamen circumſtantiis & conjecturis videtur hæc opinio eſſe admodùm veroſimilis. Neque obſtat, quòd inter Sacellum hoc, & vicinum S. LIBORII montem aut colliculum, intercedat profundiſſima urbis foſſa, cum duplici muro ab utraque parte hujus foſſæ. Certum eſt enim ex Anonymo (*l*) Scriptore noſtro, quòd eo tempore adhuc nulla civitas murata ſteterit in toto Weſtphaliæ tractu; adeóq; & Paderbornà eodem ævo non fuerit Urbs, ſed amplum populoſúmq; Oppidum. Id quod etiam ſcitiſſimè adnotatum eſt in recentiori inſcriptione, quæ in ejuſdem Sacelli ara infra imaginem S. LIBORII legitur hiſce verbis: *Ex traditione Majorum Reliquiæ S. LIBORII, ex Gallia hucuſque in via miraculoſæ, hoc loco, tunc mœnibus nondum incluſo, depoſitæ ſunt; & indè ſolenni proceſſione in templum Cathedrale illatæ anno 836, ipſa die Pentecoſtes.*

(*l*) *In Hiſt. Transl. c. 1. n. 2.*

PARS TERTIA.

De ablatione & ſpolio Reliquiarum S. LIBORII, per Chriſtianum Brunſvicenſem, Poſtulatum Halberſtadienſem.

CAPUT I.

De Miraculis et cultu S. LIBORII Paderbornæ, uſque ad receptam Lutheri Hæreſin.

I. Quàm primùm Paderbornæ S. LIBORII Oſſa ad venerationem publicam expoſita fuêre, ſimul tantis miraculis beneficiiſq; de cœlo datis coruſcare cœperunt, ut ſæpe dictus Anonymus noſter ſuo jam tempore, hoc eſt, circa annum 890 ſub Biſone Epiſcopo, eorundem conſcriptione volumen integrum conficere & complere potuerit. Sic enim affirmat ipſemet l. 2. de translatione S. LIBORII c. 9. ubi ſub finem ita ſcribit: *Cum tali honore ſacratiſſimum corpus in Eccleſiam delatum, & in loco, in quo hactenus requieſcit, collocatum eſt. Ubi quantis poſtmodùm miraculis effulſerit,*

ſerit, quanta ſanitatum dona præſtiterit, alibi dicenda reſervamus, hic præſenti libello terminum imponentes. An autem poſteà libellus iſte in lucem editus; an verò celeriore Auctoris morte interceptus fuerit, hoc ævo noſtro penitùs incompertum eſt. Fortaſſe jam dudum periit lamentabili incendio anni milleſimi, quo non ſolùm Cathedralis (*a*) Eccleſia Paderana; ſed etiam pleraque monumenta literaria, ipſáq; adeò veterum Imperatorum Diplomata, edaciſſimis flammis conſumpta ſunt.

II. Similiter & hodie pauciſſima reperiuntur de prodigiis ſigníſq; mirabilibus, quæ à graviſſimo hoc incendio, uſque ad annum Chriſti milleſimum ſexcenteſimum quadrageſimum quartum, Paderbornæ & alibi Liboriano patrocinio contigêre. Et tamen in aperto eſt, beneficiorum ſignorúmq; hujuſmodi multitudinem penè innumerabilem aut infinitam extitiſſe, utì liquidiſſimè conſtat non ſolùm ex antiquis Verſibus, Rhythmis, & aliis Monumentis annorum veterum; ſed etiam vel maximè ex literis publicis, quas Balduinus (*b*) Epiſcopus anno 1343

(*a*) *Vide Schaten ad ann. 1000.*
(*b*) *Vide eas apud Schat. ad ann. 1343.*

1343 (cùm Eccleſiæ Cathedralis fabrica triennio abhinc gravi rurſus incendio plurimùm deformata eſſet) ad omnia ſuæ Diœceſis Collegia, Monaſteria, & Parochias, pro corrogando ſumptuum neceſſariorum ſubſidio miſit. In his enim literis continua S. LIBORII beneficia, & prodigioſas morborum omnium curationes, magnificè prædicat his egregiis aureiſq; verbis: *Quàm gratus Deo Miniſter* (S. LIBORIUS) *in terris extiterit; apud ejus tumbam, quâ ſancta ejus Oſſicula reconduntur, crebris atque cottidianis miraculorum virtutibus declarat. Nam ex longinquis longè latéq; diffuſis regionibus Deo devoti & fideles populi, qui infirmitatibus oculorum & dentium, colicæ atque calculi internis torſionibus, uſque ad exitum animæ cruciantur, & aliarum infirmitatum incommodis graviter detinentur; per invocationem ejus adjuti nominis, ipſius patrociniis ſuffragantibus, ex virtute Divina protinus liberantur: & gratias Deo ac S. LIBORIO de percepta ſanitate acturi, ad Eccleſiam prædictam cum hoſtiis, hymnis, & laudibus, frequenter confluunt; doloribúſq; mitigatis & reddita ſibi ſanitate, delatis ſecum libaminum munuſculis, ſe liberatos gloriantur & publicè profitentur.* III.

III. Præcipuè tamen S. LIBORII nomen ab antiquiſſimis temporibus celeberrimum fuit in adjuvandis curandíſq; iis, qui arenarum & calculi doloribus acerbè divexantur. Unde etiam in pervetuſtis imaginibus exhibetur Epiſcopali veſte indutus, unâq; manu baculum Paſtoralem tenens; alterâ verò librum cum impoſitis aliquot lapillis, & ſupervolante hac inſcriptione: *Quid ſibi volunt iſti Lapides? Ioſue 4. v. 6.* Multa hujuſmodi ſanationum exempla & probationes adducam infrà, parte 5ta hujus opuſculi; ubi de recentioribus Thaumaturgi noſtri beneficiis & opitulationibus copioſior ſcribendi materies erit. Nunc autem acquieſcam exemplo unico Werneri quondam Archiepiſcopi & Electoris Moguntini, de quo Balduinus Epiſcopus noſter in literis antè dictis meminit. Invaſerant illum, anno Chriſti milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo, acutiſſimi dolores calculi: in quibus etiam longo tempore auxiliatrices Medicorum dexteras & ingenia (c) non parùm fatigaverat. Sed cùm obſtinata mali iſtius vis omnes ipſorum artes ac ſcien-

(c) *Litera Balduini Epiſc, apud Schat. loc. cit.*

ſcientiam eluſiſſet, ſalubriori tandem conſilio Paderbornam ad S. LIBORII tumbam à ſuis deductus eſt: ibíq; ſtatim ejus patrocinio ſub omnium adſtantium oculis tam prodigioſè convaluit, ut ex eo momento nullum ampliùs præteritorum cruciatuum dolorúmq; veſtigium in ægroti corpore ſuperfuerit. Qua de cauſa non modò authenticum accepti hujus auxilii teſtimonium in ſcripto edidit, utì Balduinus Epiſcopus in literis prædictis refert; ſed etiam omnibus Provinciæ Moguntinæ ſubditis (*d*) quadraginta dierum indulgentias contulit, ſi ad reſtaurationem Cathedralis Eccleſiæ Paderbornenſis, neſcio quo caſu vel infortunio vitiatæ, liberale ſubſidium contribuerent.

IV. In periculoſis quoque marium procellis ac tempeſtatibus invocationẽ Thaumaturgi noſtri ſalutarem fuiſſe, etiam nunc docent navis & cetus, è medio templi Cathedralis fornice dependentes. Hæc enim ſigna, ùt antiquus (*e*) Poëta cecinit, à mercatore vel nauta quodam in gratiarum actionem

(*d*) *Gobelin. in Coſmodr. ætate 6. c. 67.* (*e*) *Apud Bolland. to. 5. Ss. Julii, Ode 5. pag. 438 in fine.*

onem, & memoriam perpetuam ſuſpenſa ſunt, quòd invocato S. LIBORII nomine, inter immanes ventorum pelagíq; furias à præſentiſſimo naufragii periculo non ſinè prodigio liberatus fuerit. Imò in veteribus quibuſdam Hymnis ac Verſibus, qui olim in Cathedralis Eccleſiæ Choro ad cornu Epiſtolæ prope ſummum Altare pependerunt, antiquæ tabulæ inſcripti; etiam huic Thaumaturgo noſtro attribuitur triū mortuorum ſuſcitatio, utì videri poteſt apud Bollandum Hymno primo & 5. Rem verbo: miraculoſa Beati hujus Epiſcopi virtus ante Evangelicam Luthericámve deformationem tam erat celebris ac famoſa, ut univerſa penè Germania, Rhenum inter & Albim fluvios, cumulatis ejuſdem laudibus perſonarent. *Memoria ejus*, ait Krantzius olim Decanus Hamburgenſis l. 1. Metrop. c. 28. *uſque hodie celebris eſt in Eccleſia Paderbornenſi: id quod crebra in populum beneficia conteſtantur ac merentur.* Unde & mirum non eſt, quòd in eadem Baſilica non ſolùm plurima anathemata priſcis temporibus appenſa; verùm etiam præſtantiſſimi ſacrorum vaſorum aliorúmq; ornatu-

um

um theſauri, vel piorum fidelium liberali gratitudine donati, vel etiam ex oblatis donariis confecti fuerint. Merianus in Topographia *(f)* Weſtphaliæ, & alii complures memorant, ſuperiori ævo, uſque ad funeſtam invaſionem Chriſtiani Brunſvicenſis, in Cathedralis Eccleſiæ Paderbornenſis theſauro proſtitiſſe ſtatuam auream S. Liborii, octoginta pondo, ſeu librarum auri ſolidi. Præter hanc ibidem viſebatur non parva multitudo aureorum & argenteorum utenſilium diverſi generis: præſertim verò pretioſa illa ponderoſáq; Tumba argentea, gemmis ac margaritis interſtincta, quæ ejuſdem S. Liborii corpus jam inde à plurium ſæculorum intervallo cuſtodierat.

V. Solebat autem hæc Tumba, cùm in ſupplicatione publica circumduceretur, præcellentiæ & honoris cauſâ geſtari à Conſulibus aliíſq; viris primariis è Senatu: qui & hoc miniſterii ſacratioris genus ab antiquiſſimis temporibus non ſolùm promptè; ſed etiam perlubenter & cum gaudio ſubire, pro ſua devotione conſueverant.

At,

(f) Merian. titulo, Paderborn. - - Brachel. ad annum 1622. & alii.

At, ubi poſtea ſub Apoſtata & Pſeudo-Epõ noſtro Henrico Lauenburgico Lutheranũ Evangelium patentiſſimis portis in urbem irruit, maximáq; civium pars, unà cum Senatoribus & Conſulibus, in illud, velut muſcæ in appoſitam promulſidem, involavit: tunc enimvero cœptum eſt, pientiſſimum hoc miniſterium cum ingenti pertinacia detrectari, tunc opus illud religioſum deteſtabili ſphalmate ùt irreligioſum duci, tunc ex fœdo quorundam Sacerdotum Apoſtaticorum & Prædicantium ore ſacrilegis vocibus conclamari: *Nolle ſe ampliùs antiquo Idolorum cultui adhæreſcere, neque putrida hominis defuncti oſſa per urbis compita circumferre. Erraſſe majores ſuos, cùm id ex veteri ſimplicitate fecerint: corrigendum eſſe tandem, quod ab iis quidem bona fide; ſed perperam commiſſum fuerit.*

VI. Multi viri boni, præſertim ex Majori & Minori Clero (quibus illa detrectatio triſtiſſimum vulnus in corde erat) ex eo Divi tutelaris contemptu non vanè ominati veritíq; ſunt, ne Divina benedictio jam ab urbe hac penitùs retrocederet, ac demum tanta malorum procella ſequeretur, quæ

non modò cives Paderanos ; ſed etiam Diœceſin totam in extremas miſerias deturbaret. Præ cæteris verò hæc ſancta ac ſalutaris formido pulſabat animum Reverendiſſimi Celſiſſimíq; Principis & Epiſcopi, Theodori Fürſtenbergii ; quem Divina bonitas, poſt acceleratam Henrici Lauenburgici Pſeudo-Epiſcopi ac deſertoris mortem, ſpeciali Providentia ad vacantem Paderanæ Eccleſiæ Cathedram extulerat. Unde totis triginta tribus annis, quibus huic Epiſcopatui ſumma cum laude præfuit, ſollicitiſſimè ſemper ſtuduit, antiquam fidem Romano-Catholicam integritati priſtinæ in ſuorum ſubditorum cordibus reſtituere. Quin etiam fortunante cœlo hæc ejuſdem ſtudia tam proſpere ac feliciter proceſſêre, ut eo vivente, partim indefeſſâ ipſius vigilantiâ ac ſollicitudine, partim auxilio & operâ Patrum Societatis Jesu (quibus Paderbornæ cum immortali ſui nominis gloria Collegium Gymnaſiúmq; Theodorianum excitaverat) propè tota (*g*) Diœceſis noſtra à Lutheranis & Calvinianis erroribus expurgata fuerit. Quia verò per-

(*g*) *Hiſt. Colleg. Paderb.*

pertinaciſſima urbs Paderborna, vicino Haſſorum patrocinio confiſa, ſeſe nondum hac in re ad pientiſſimam ejus voluntatem vertere & inclinare voluit; tandem vix evoluto poſt mortem ejus triennio, Divina caſtigatio plenis irarum procellis in urbem effundi cœpit, uti ſequenti capite prolixiùs recenſebitur.

CAPUT II.

Quomodo Chriſtianus Dux Brunſvicenſis Paderbornam intraverit; intérque prædas alias, etiam abduxerit Lipſanothecam S. LIBORII.

I. Anno Sæculi ſuperioris decimo nono conſurrexerat in Bohemia triſtis ac funeſta rebellio ſubditorum contra legitimum Regem ſuum, Ferdinandum II. Imperatorem: quem idcirco ſolùm, quòd Religionem Catholicam impensè coleret, à Regali ſolio dejecêre. In hujus locum à rebellibus eodem anno ſuffectus, ac dein die 4tâ Novembris Pragæ coronatus eſt Fridericus Elector Palatinus, Calvino addi-

ctiſſimus, & Catholicorum hoſtis capitalis: qui tamen, Deo ſpem & ſortem ejus invertente, vix ultra unam hiemem gloriari potuit, ſe Regem eſſe. Nam anno proximè ſequente à Cæſareis, Maximiliani Bavariæ Ducis auxilio ſuffultis, validiſſimo bello invaſus, ac demum die octava Novembris (eâdem illâ (*a*) Dominicâ, quâ in Sacrificio Miſſæ cantatum fuerat illud Chriſti Domini: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari*) in *Monte-Albo* (*b*) haud procùl ab urbe Praga, tam exitiali clade profligatus eſt, ut & Bohemiam iniquè partam deſerere, & Septemvirali dignitate poſtmodùm terríſq; propriis excedere compulſus fuerit.

II. In hac tamen dejectione ac miſeriâ ſuâ adhuc multùm auxilii reperit apud nonnullos Principes Acatholicos: quos inter nemo turbulentiore ſimul & infeliciore conatu, pro Friderici Palatini defenſione in bellum proruit; quàm Chriſtianus è Ducum Brunſvicenſium Familiâ poſtulatus Epiſcopus Halberſtadienſis; qui ob inquietum ingenium ab aliis paſſim appellari meruit

ruit

(*a*) *Spondan. ad annum 1620. & alii.*
(*b*) *Vulgò*, auff dem Weiſſen-Berg.

ruit *Chriſtianus turbulentus*, Germanicè der tolle Chriſtian. Hic anno 1621 in auxilium depulſi Regis non exiguas equitum peditúmq; copias auctoraverat; & cum iis Menſe Octobri per Haſſiam properatis itineribus contendebat versùs Palatinatum, ut ibidem fractas ac penè emortuas Friderici Palatini vires iterum erigeret. At, quia priùs, quàm illuc pervenire licuerit, à Joanne Jacobo Comite Anholtio (*c*) per viam obrutus, profligatus, & in fugam abjectus eſt; cum acciſis armatorum ſuorum reliquiis continuò per eandem Haſſiam ſe retraxit, flexítq; iter in Weſtphaliam. Ubi ſtatim fortunam ſuis deſideriis tam obſequentem habuit, ut Menſe Januario ſequentis anni 1622 Suſatum & Lipſtadium, duas urbes Luthero deditas, atque id temporis ferme ab omni militari præſidio deſtitutas, facili negotio interceperit, novam inibi militarium auctorationum ac prædationum ſedem poſiturus.

III. Equidem in improviſis hujusmodi rebus non facilè vim & irruptionē aliquam (*d*) formidare potuiſſet urbs Paderborna:

D 3 tum

(*c*) *Brachel. l. 1. Hiſt. p. 48. & ſeq.* (*d*) *Hiſt. Colleg. Paderb.*

tùm quia matura præcautione ſui tunc Epiſcopi, Ferdinandi Bavari Colonienſis Archi-Epiſcopi, ſufficienti militum præſidio jam erat ſollicitè communita; tum quòd eodem hoc tempore de cœlo decidiſſent copioſiſſimæ nives cum tanta hiemis ac frigorum inclementiâ, ut nullus militum diutulè in campo ſtare, nédum urbis alicuj⁹ obſidionem tentare poſſet. Verùm, quod externa vis in hac rerum habitudine eniti non valuiſſet; id inteſtinorum hoſtium, puta civium Lutheranorum, proditione & colluſione facillimum accidit. Erant ex iis multi, quorum deſideria in adventum & receptionem Chriſtiani Ducis antè dicti maximoperè propendebant: quia certiſſimè confidebant fore, ut hic non modò Lutheranæ Religionis exercitium, ante annos octodecim Wichardiana rebellione deperditum, in Forenſi Templo reſtitueret; verùm etiam Catholicos omnes, maximéq; Patres Jeſuitas, quos cane anguéq; pejus oderant, ſempiterno exilio mulctaret. Imò & aliqui civium tam incenſa cupiditate ſitiebant adventum hujus exiſtimati Servatoris ac Liberatoris ſui, ut etiam auderent jacti-

jactitare palàm hæc verba, inſani favoris plena: Er muß darin / und ſoll darin: hoc eſt: *& volumus, & aliorum quorumcunque ingratiis connitemur, ut in urbem veniat.* Id quod etiam paulò pòſt (*e*) fraudulenter ac doloſè in hunc modum effecêre. Nonnulli Senatores & Cives Lipſtadium ad Chriſtianum Ducem (quem deinceps aliorum ſcriptorum exemplo Halberſtadienſem appellabimus) ex urbe emiſſi erant, ut cum eo paciſcerentur de pecuniis & contributionibus, quas ubique per totã Weſtphaliam ad explendas burſæ inanis rugas edici juſſerat. Ex eorum numero civis aliquis prædives, nomine Arnoldus Drohm, unà cum nonnullis aliis malè affectis, per ſummam perfidiam ſuggerebat Halberſtadio: *Non eſſe opus cum eo paciſci de pecuniis: oportere magis, ut Paderbornam veniat, ibiq; totam contributionem auferat à Clero & Papiſtis. Curaturum ſe ſociósq; ſuos, ut ejus miles in urbem admittatur.*

IV. Dictum ac factum. Die viceſima nona Januarii adſunt (*f*) pedeſtres & equeſtres ejuſdem copiæ, aperiuntur maleficio

 portæ,

(*e*) *Hiſt. Colleg. Paderb.* (*f*) *Ibidem.*

portæ, intromittitur peregrinus miles, præſidium Epiſcopale cogitur abſcedere, biduóq; pòſt etiam præſtò eſt Halberſtadius ipſemet : ſed magno urbis totius malo. Nam, ut aliquantiſper ſileam execrabiles templorum prædas (de quibus poſtea) jubebat primùm omnes perſonarum Eccleſiaſticarum ædes expilari : deinde & aliorum hominum Catholicorum domos unà cum armis ipſorum diripi : poſtremò etiam inermes Catholicos, palliolatim amictos, in Domo Senatoriâ congregari; Lutheranos verò obarmatos, militari apparatu cum tympanis & vexillis, ante Domum Senatoriã coram ſe in armis comparére. Nemo Lutheranorum civium ambigebat, quin hìc & nunc inſigne aliquid in opprobrium deſpicatúmq; nominis Catholici perpetrandum foret : atque ideo belliſſimè compti, incedebant pulcherrimis ordinibus, armis, ac veſtimentis. At vehementer fefellit eos præpoſtera ac præmatura ſpes. Etenim Halberſtadius, poſteaquam eos, cum puſillo Catholicorum adſtantium grege, ex urbis Curia diu ſedulò contuitus fuerat; jubebat eoſdem ocyùs à ſuis equitibus incingi,

gi, armaturam omnem humi deponere, militaria inſtrumenta militibus relinquere, atque ita inermes & vacuos domum redire, non ſinè magna Catholicorum, intus in ſinu ſuo gaudentium, admiratione.

V. Neque hìc finis fuit iſtius, comœdiæ dicam? an tragœdiæ? Exarmatis enim Lutheranis civibus etiam convertebat oculos ad auferenda ipſorum bona: & (quæ ſingularis erat vindicta Numinis) prædandi initium capiebat ab ædibus antè dicti proditoris (g) Arnoldi Drohm; qui eundem, favore penitùs inſperato, ex urbe Lipſtadienſi Paderbornam invitaverat. Apud hunc plures, tam Catholici, quàm Lutherani, præſtantiora quælibet in auro, argento, aliiſq; rebus pretioſis, cuſtodienda repoſuerant; quia crediderant, ea nullo in loco magìs in tuto fore. Sed, quod in vetere proverbio eſt, proditio ac perfidia plerumque ſuómet auctori nocent. Halberſtadius, utì jam dicere cœperam, prædones ſuos primùm ante alios emittebat in ejus domicilium; curavítq; illud ita rebus omnibus deſpoliari, ut Arnoldus, abſcedente

(g) *Hiſt. Colleg. Paderb.*

prædonum iſtorum cuneo, ubique in ſuis ædibus nil niſì inanes angulos reperiret. Pari modo actum & luſum eſt cum reliquis amplioris fortunæ civibus, nullo habito cujuſcunque fidei aut religionis diſcrimine. Certè ſolum Collegium Societatis JESU (quod paulò antè à defuncto Epiſcopo ac Fundatore ſuo, Theodoro Fürſtenbergio piiſſimæ recordationis, in ſtatu florentiſſimo collocatum fuerat) hac una direptione plùs quàm decem millium Imperialium jacturam tulit: ut omittam alias preſſuras ærumnáſq; duriſſimas, quas aliqui Patres ejuſdem Collegii, in diuturna captivitate & abductione ſua, penè uſque ad mortem ipſam debuerunt ab hoſte inſano perpeti.

VI. At inter has omnes prædas, & hominum afflictiones, nihil magìs impium ac intolerabile fuit; quàm ſacrilegum illud rapiendi genus, quod idem Halberſtadius hìc in templis omnibus, præcipuè verò in Eccleſia noſtra Cathedrali, auſus eſt exercere. Erat ibi pretioſa S. LIBORII ſtatua ex auro cuſa, utì & argentea ejuſdem Lipſanotheca, margaritis gemmíſq; plurimis exornata; ſicuti jam alio in loco memini. Utrumque hunc

hunc theſaurum, præter alios innumeros ornatus vaſáq; ſacra, inſatiabili rapacitate curabat inde in Collegium Societatis Jesu ad ſe deferri; ibíq; eundem ſummo cum gaudio contemplatus eſt *(b)* coram aliquibus captivis Patribus: quibus etiam permiſit Lipſanothecam ſacrilegâ manu reſeratam inſpicere, & incluſas B. LIBORII Reliquias devotis oſculis devenerari. Sunt, qui dicant, eum tunc fortunæ ſuæ juveniliter applaudentem (erat enim viginti trium circiter annorum Princeps) hilaribus brachiis irruiſſe in amplexum hujus theſauri; ſanctóq; LIBORIO per ludibrium egiſſe gratias, quòd ſe ſuíq; militis adventum Paderbornæ à tot Sæculis exſpectare dignatus fuerit. Sed hac de re nihil admodùm reperitur in Hiſtoria manu ſcriptâ Collegii Paderani, in qua tamen res aliæ hoc incurſu geſtæ ad unguem adnotantur. Multò certius eſt, quod in ſuis Annalibus manu ſcriptis refert Henricus Turckius, eodem anno, poſt prædictam ſummæ ædis expilationem, Francofurti & aliis in locis acatholicis æri inciſam publicéq; divenditam eſſe effigiem

(b) *Hiſt. Collegii Paderb.*

giem Halberſtadiani; in qua ille, S. LIBORII Lipſanothecam amiciſſimè complexus, edicebat hæc verba ſacrilega: *Gratiæ tibi, LIBORI! qui à ſeptingentis* (& ampliùs) *annis me præſtolatus es, & mihi te reſervâſti.* Utrúmne jam ſuprà dicta aliquorum narratio ex eadem imagine ſuam originem duxerit; an verò iſta LIBORIani theſauri amplexatio extra Patrum Jeſuitarum oculos facta ſit in Eccleſia Cathedrali, cùm ex ea Chriſtianus Halberſtadienſis B. LIBORII tumbam erueret; non auſim definire.

VII. Cæterùm Halberſtadius re ipſa theſaurum hunc ſacrum tam indignè habuit, quaſi cum Deo & Sanctis ejus ludum juvenilem ageret. Nam paulò pòſt curabat illum unà cum cætera Cathedralis Eccleſiæ gaza Lipſtadium avehi, in monetariam officinam injici, ibidem confringi, comminui, contundi. Atque, ut orbi Chriſtiano palàm faceret, quàm iniquo & ſanguinario in rem Catholicam affectu eſſet; ex omni auro argentóq; ſacro monetam adeò truculentam procudi fecit, ut eam potiùs ex aliquo Cycoplum antro, quàm ex hominum Chriſtianorum officinâ prodiiſſe crederes.

Ete-

Etenim ab una parte *(i)* prominebat è nubibus extenſa manus cum diſtricto gladio, & hac malè conſona inſcriptione Gallica: *Tout avec Dieu, 1622.* Ab altera videbantur in medio numiſmatis hæc verba impia: *Dei amicus, Clericorum hoſtis.* Germanicè, Gottes Freund / der Pfaffen Feind. Circùm verò hoc nomen ejus: *Chriſtianus Dux Brunſvicenſis & Lüneburgenſis.* Verùm ſupremus ille rerum omnium Dominator Deus, qui Sanctorum ſuorum honores defendere & ipſorum contumelias vindicare ſolet, poſt ejuſmodi ſacrilegum facinus eum protinus tam celeri pede ac pœnâ inſecutus eſt, ut, quocunque poſtmodùm infauſta militum ſuorum agmina circumduxit, à Catholicis profligatus; & eodem brachio, quod adverſùs Deum ejúſq; Sanctos malè exſeruerat, per autumnum hujus anni exutus fuerit, uti fuſiùs oſtendetur capite ſequenti.

(*i*) *Exempla hujus monetæ ex auro & argento ſunt in Sacrario Cathedr. Eccleſiæ.*

CA-

CAPUT III.

Quomodo Chriſtianus Brunſvicenſis, à LIBORIana præda ſemper infelix, brachio ſuo mulctatus, ac miſerè tandem extinctus fuerit.

I Copioſâ pecuniâ, quam Halberſtadius tùm è Cathedralis Eccleſiæ theſauro, tum ex aliis totius Diœceſis & Regionum vicinarum ſpoliis conflaverat, intrà breve tempus tam numeroſum exercitum quorumlibet effrænatorum hominum ad ſe attraxit, ut ſub adventum veris viginti *(a)* millia armatorum, puta duodecim millia peditum, & octo millia equitum, ſub ſuis ſignis recenſeret. Hos ingentibus turmis quaquaverſum in omnes Weſtphaliæ tractus emittebat, ut incendiis ac latrociniis ampliorem opum ac pecuniarum vim ex hominum afflictiſſimorum loculis extorquerent. Monaſterienſium ditionum ordines jam eidem triginta millia dalerorum Imperialium in parata pecunia repræſentaverant:

(a) *Hiſt. Colleg. Paderb.*

verant : & tamen ſaltem adhuc alterum tantum (*b*) ab iiſdem exigebat. Neque ei difficile fuiſſet, id ipſum per ſuas Harpyjas exequi, niſi ineunte Majo ad celeriorem abſceſſum adactus eſſet, partim iteratis urgentiſſimíſq; literis Friderici Palatini, qui repentinum ejus auxilium, ob valentiora Cæſaris & Cæſareanorum arma, identidem ad Rhenum depoſcebat; partim adventu copiarum Colonienſium & Belgicarum, quæ Ductore Henrico von dem Bergio jam haud procul Duſſeldorpio Rhenum trajecerant, peregrinos iſtos rapacéſq; milvios è ſuis nidis ejecturæ. Quapropter Halberſtadius, nil ultrà morandum videns, properatim ſuas Legiones contrahere, die decimâ ſextâ Maji (*c*) Paderbornam deſerere, Huxariam proficiſci, Viſurgim tranſire, pontem poſt ſe dejicere, indéq; ſecum abducere non ſolùm quinque Sacerdotes Collegii Paderani (à quibus adhuc decies mille Imperiales pro liberationis pretio depoſcerat) ſed etiam ſacratiſſima Oſſa & Reliquias B. LIBORII Epiſcopi, quas in vili & obſo-

(*b*) *Turckius in Hiſtoria Mſ.* (*c*) *Hiſtoria Colleg. Paderb.*

obſoletâ mappâ lineâ conſutas, Epiſcopali Ducalíq; ſigillo ſuo diligenter obſignaverat.

II. A Viſurgi, peragratis obiter Brunſvicenſium terrarum finibus, convertebat iter in Eichsfeldiam, inde verò in ditionem Fuldenſem: & in utraque Provincia ex immani Catholicæ Religionis odio tam barbarè graſſatus eſt, ut ſola ditio Fuldenſis (*d*) intentatam ſibi perniciem tringinta milliũ Imperialium pretio debuerit redimere. Sed brevì didicit, adhuc aliquod Numen ſuper aſtra degere, quod Catholicorum fortunæ præſit. Peccata ejus, in LIBORIanas Reliquias admiſſa, jam diu vindictam è cœlis devocaverant: atque ideo Deus permiſit, illum cum rapaci exercitu ſuo juxta Mœni defluentis ripas audentiùs deſcendere, ut hunc fluvium inopinâ militum ſuorum clade purpuraret. Uno circiter milliario infra urbem Francofurtum jacet oppidum *Hôchſt*, Moguntino Electori ſubditum. Eo per vim potitus Halberſtadius, juſſit ocyùs præterfluenti Mœno pontem injici, ut exercitum ſuum transmittere; ac deinde

(*d*) *Turck. ibid.* - *Helvicus in Theat. Hiſt. univ.*

de ſe cum Erneſto Mansfeldio, Palatinarum Copiarum Archiſtratego, poſſet conjungere. At Cæſareani exercitûs Ductor, Joannes Tſerclaſius Comes de Tilli, eundem huic operi intentum opinione citiùs adortus eſt; ac die viceſima Junii ita cecîdit, fudit, profligavit, ut Halberſtadienſium ter mille (e) circiter in acie trucidati, octingenti fracto ponte ſubmerſi, alii de ponte reduces à ſuómet equitatu confoſſi, alii à Cæſareis capti, alii in infelici fuga quaquaverſum diſperſi fuerint. Halberſtadius ipſe cum paucis millibus, quæ de tanto exercitu adhuc ſupererant, invento per Mœnum vado ægerrimè de prælio elapſus eſt; ac tandem, nullo tantorum apparatuum fructu, ad Mansfeldium pervênit. Eâ victoriâ prædicti quinque Sacerdotes de Societate Jesu, quos Halberſtadius uſque ad *Höchſtum* oppidum inter innumeras ærumnas & opprobria ſecum raptaverat, diuturnâ cuſtodiâ (*f*) liberati; atque à triumphatore Tillio, poſt octiduanam liberalémq; refocillationem, ad Collegium Paderanum clementiſſimè remiſſi ſunt.

E III.

(*e*) *Helvic. loc. cit. pag. 355. & alii.* (*f*) *Hiſt. Colleg. Paderb.*

III. Neque tamen hîc finis erat pœnarum Halberſtadii. Cùm enim à prædicto ferali prælio nulla ipſi ac Mansfeldio ſupereſſet ſpes, jacentem Friderici Palatini fortunam erigendi: amboquidem, conjunctis amborum exercituum reliquiis (quæ adhuc circiter (g) viginti millia virorum conficiebant) primò in Alſatiam, deinde in Lotharingiam, & hinc denique in Belgium dilapſi ſunt; ut ibidem Batavis, eorúmq; ſupremo Duci Mauritio Arauſicano, contra invaleſcentem Hiſpanorum potentiam ſubvenirent. At priùs, quàm ſe ſuóſq; illuc perducere poſſent, Nemeſis Divina rurſus improvisè in eoſdem irruit apud oppidum Floriacum non procul à Namurco: ubi Gonſalvus Corduba, Hiſpanicæ militiæ Ductor, die viceſima nona Auguſti ad pugnam ipſos adegit, & glorioſam ab ambobus victoriam retulit. Initio quidem viſa eſt fortuna haud parùm vacillare ab utraque parte: nam & hoſtes, in anguſto poſiti, furioſis deſperatiſq; animis dimicabant. Poſtremò tamen coacti ſunt fugam arripere, laurúmq; triumphalem in manibus Hiſpano-

(g) *Turck. in Hiſt. Mſ.*

ſpanorum relinquere. Ex Mansfeldianis & Halberſtadianis memorantur in prælio *(h)* cecidiſſe ter mille pedites, & mille equites. Reliqui potiſſimam ſuî partem variè diſperſi, & hinc inde à ruſticis tam atrociter in fuga trucidati ſunt, ut è toto amborum exercitu vix ultra ſex virorum armatorum millia ad Mauritium Arauſicanum elapſa fuerint.

IV. Præ cæteris autem in eo conflictu ſevera Numinis vindicta perculit LIBORIanorum Oſſium raptorem & contemptorem, Chriſtianum Halberſtadium. Nam id ipſum brachium, quod in ſacrilegis numiſmatis, ex LIBORIano theſauro cuſis, adversùs Clerum Divóſq; Cœlites exporrexerat, in eo prælio glande plumbea perforatum eſt: ſimúlq; gangrænam adeò repentinam & exitialem combibit, ut putreſcente circùm vicinâ carne, totum brachium vulnerario cultro deſecari, neceſſum fuerit. Imò & à pluribus obſervatum, & ſubinde ex ipſiúſmet *(i)* Halberſtadii ore compertum fuit, propè omnem illam ar-

(h) Helvicus in Theatro Hiſt. Univ.

(i) Turck. in Hiſt. Mſ.

matæ pubis multitudinem, quam pecuniis è Paderanæ Eccleſiæ ſpolio conflatis auctoraverat, in prædictis duobus præliis apud Hôchſtum & Floriacum occubuiſſe. Nec multò melior fortuna fuit iſtorum civium, qui ad Halberſtadii receptionem Paderanâ in urbe conſilium & auxilium dederant. Arnoldus Drohm, quem Halberſtadianæ factionis Principem fuiſſe diximus, pœnam capitis (*k*) grandi pecunia redemit; eóq; pretio ſanguinario ſuam ſuorúmq; fortunã ita decollavit, ut uxor & proles ejus, poſt viginti vel triginta annos, penè mendicato vivere coacti ſint. Alii duo ante arcis Neuhuſanæ oculos capite plexi, alii diuturnis carceribus preſſi, alii ab urbe proſcripti, alii voluntariâ fugâ ſuómet judicio condemnati, alii denique aliis pœnis atque ſuppliciis correpti & correcti fuêre.

V. Debebat Halberſtadius tam infauſto tandem exemplo ſapere, & ſecum animo perpendere illud Poëtæ: *Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.* At ille turbulentum caput adhuc nullatenus ad hanc rupem contudit: ſed ſequenti hieme, anno 1623

(*k*) *Hiſt. Colleg. Paderb.*

1623, tum in Epiſcopatu Oſnabrugenſi (qui tunc parebat Philippo Sigiſmundo ejuſdem patruo;) tum in Diœceſi ſua Halberſtadienſi, aliiſq; terris Brunſvicenſibus, non ſinè occulto quorundam Principum adminiculo novum denuo conſcripſit exercitum virorum propè triginta millium, quorum armis *(l)* & haſtilibus pleriſque inſcriptæ erant literæ P. F. hoc eſt, Pfaffen⸗Feind/ latinè, *Clericorum hoſtis.* Cum his adulto Menſe Julio diſceſſit Göttingâ, Viſurgim tranſiit apud Bodenwerderam, per Comitatum Lippienſem & Ravensbergicum irruit in Diœceſin Monaſterienſem, indéq; magnis itineribus properavit in Comitatum Zutphanienſem, ut ibidem cum exercitu Batavico ſe ſuóſq; in unam belli molem adunaret. Sed hîc rurſum infelici fato experiri debuit, *Clericorum hoſtem non eſſe amicum Dei.* Etenim fortiſſimus Catholicorum Belliductor Comes de Tilli (qui jam dudum ad Brunſvicenſium fines Halberſtadii conatibus invigilaverat) de repentino ejus diſceſſu edoctus, continuò proficiſcentem inſequi, Viſurgim apud Huxari-

(l) Helvic. in Theat. Hiſt.

am trajicere, per homines itinerum gnaros compendia viarum quærere, vicinas Comitis Anholtii copias ad ſe attrahere, ac demum in finibus Diœceſis Monaſterienſis, haud procùl ab oppido Burg-Steinfort/ eundem circa veſperum aſſectari.

· VI. Poſtridie manè, die ſexta Auguſti, Halberſtadius quidem ſe identidem longiùs ac longiùs retrahebat versùs Metelenam, Nienburgum, Ahuſium, Wüllenam, alióſq; pagos, ut pugnandi neceſſitatem evitaret. Quoniam verò Tillius ei ſemper cum exercitu ſuo pedatim inſiſtebat; poſt ejuſdem diei meridiem, non longè ab oppido Stadtlona, tandem ad committendum prælium adactus, & ab exercitu Catholico tam horribili clade percuſſus eſt, ut poſtmodùm ipſe Tillius diſertè ac rotundè affirmârit, ante annos tres apud Pragam in *Monte* (ùt vocant) *Albo* non eſſe tantam hoſtilium copiarum ſtragem editam, quantam in hac acie Stadtloniana. Peditatus Halberſtadii, qui non minùs viginti millia capitum cenſuiſſe fertur, ſupra dimidium in campo cecidit: neque adhuc fuiſſet ejuſdem cædendi vel mactandi finis, niſi tandem ſuo militi impe-

imperaſſet Tillius, exſaturatos cruore gladios in vaginam remitti, peditéſq; reliquos depoſitis armis in cuſtodiam & captivitatem accipi. Ex horum numero ferè quinquies mille ſelecti, & ſtipendio (*m*) Cæſaris adſcripti; cæteri verò, quorum adhuc erant penè quatuor millia, ſine armis domum remiſſi, & , ne in via cæderentur à ruſticis, Monaſterium uſque incolumes perducti ſunt: ubi neceſſe fuiſſet eos fame & miſeriis confici, niſi Religioſi & cives Catholici, ex miſericordia Chriſtiana, eoſdem neceſſario pane & cerevifia extra urbem refeciſſent. Similiter & equitatus ultra dimidium periit. Captorum belli Officialium erant fermè trecenti, quos inter multi Principes, Comites, aliiq; perilluſtres Domini. Ex apparatu bellico Cæſareanis in prædam obvenêre ſeptuaginta quinque vexilla pedeſtria, octodecim labara equeſtria, tria magna mortaria ejiciendis globis ignivomis deſtinata, novem tormenta muralia majora, ſeptem egregiæ colubrinæ, aliáq; id genus plurima. Quod verò maximè ſtupendum fuit; in tanta hoſtium devictorum

(*m*) *Helvic. in theat. Hiſt. & alii.*

cæde vix ampliùs ducenti è Cæſareis vitam amiſêre.

VII. Halberſtadius, pernicis equi beneficio ab interitu ſervatus, paulò pòſt unà cum Mauritio Principe Arauſicano, aliiſq; Batavorum Primatibus, acceſſit ad Embricenſe *(n)* Collegium Societ. Jesu. Cúmq; ibidem inter eos fortuitus moveretur ſermo de nupera apud Stadtlonam pugna; coram iis apertè ac dilucidè confeſſus eſt, in hoc & aliis ambobus præliis non alia de cauſa tam infeliciter à ſe depugnatum eſſe, quàm ob contemptum S. LIBORII, & iniquam ſacrorum ejus Oſſium direptionem. *Utinam*, inquiebat, *bonum iſtum Senem* (S. LIBORIUM) *in veteri quiete ſua ad Paderæ fontes reliquiſſem! Tunc enim (ùt opinor) & feliciùs decertaſſem, & brachio meo forſitan exutus non fuiſſem.* At ille dolor non erat utilis ad ſalutem animæ; neque talis, qui ſinceram vitæ ac morum præteritorũ converſionem pareret. Neglectis enim hujuſmodi caſtigationibus Divinis, nihilo pergebat minùs in inceptis animi turbulenti motibus; quærebátq; adhuc ſemper (licèt exiguo

(n) Hiſt. Colleg. Paderb.

guo cum ſucceſſu) in everſionem rei Catholicæ furioſi cordis venena exſpuere : donec triennio pòſt, videlicet anno Sæculi iſtius viceſimo ſexto, ætatis autem ſuæ viceſimo ſeptimo (poſtquam tribus quatuórve diebus antè, vermem quatuor cubitos longum, ac duos digitos craſſum ejeciſſet) accelerata morte inquietam animam exhalaret.

PARS QUARTA.

De reductione ablatarum Reliquiarum S. LIBORII.

CAPUT I.

Quomodo Philippus Otto Rheni Comes à Chriſtiano Brunſvicenſi Reliquias LIBORIanas acceperit, & à ſe acceptas eſſe denuntiaverit.

I. Cùm Halberſtadius, vel (ut alii nominant) Chriſtianus Brunſvicenſis, anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo 2do, accepta clade *Höchſtana* in Lotharingiam ſe retraxiſſet cum Mansfeldio: honoris exhiben-

hibendi gratiâ ad ipſum accedebat (*a*) Philippus Otto Rheni Comes, & Princeps de Salm, vir pientiſſimè Catholicus, qui & eodem die cum illo pranſus & cœnatus eſt. Sub menſa varios inter ſermones etiam incidebat mentio de pretioſa Lipſanotheca S. LIBORII ad fontes Paderæ; quam ab illo raptam, & in militum ſuorum ſtipendia traductam eſſe, jam ubique in terris omnibus divulgatum erat. Subinde familiariter ex eo ſciſcitabatur prædictus Rheni Comes: *ubinam ergò repoſuerit B. LIBORII Reliquias, eidem Lipſanothecæ incluſas?* Reſpondit Halberſtadius, illas etiamdum ſervari apud ſe: ſtatímq; mandavit Secretario ſuo, ut eas finito prandio ad ſe afferret, & in vicina menſa ad inſpiciendum exponeret. Erant illæ tunc involutæ vili detritóq; linteo: in eo tamen firmiter conſutæ, & multis ejuſdem Halberſtadii ſigillis obſignatæ. His apertis, cùm appareret, eas vehementer attritas, & in fruſtà comminutas eſſe; rogabat iterum Rheni Comes: *Veréne hæc Oſſa, ſunt eadem ipſa, quæ reperta ſunt in Tumba LIBORIana?*

(*a*) *Erlevvein in Hiſt. reductionis Reliquiarum apud Bolland. n. 3.*

Rlana? Et quare illa jam adeò ſunt confracta & commolita? Repoſuit Halberſtadius: *Ipſiſſima ſunt prorsùs; quàm verè ego è Ducum Brunſvigiorum ſanguine deſcendo, & hîc ante ora veſtra coràm aſſideo. Quòd autem nunc adeò confracta & comminuta videantur: id ex eo proveniſſe arbitror, quia argenteæ ſupellectilis abaco à me incluſa, & inter plurimas viarum aſperitates perſæpe cum argenteis vaſis colliſa contuſáq; ſunt.*

II. Eo Ducis reſponſo non parùm commoveri cœpit antè dictus Rheni Comes: intimóq; dolori eidem erat, quòd tam antiquæ celebréſq; Reliquiæ à viro acatholico raptæ, & ab eo tam negligenter habitæ vel cuſtoditæ fuerint. Quamobrem humaniſſimè rogabat Halberſtadium, ut ſibi *(b)* ſuæq; Conjugi Reliquias iſtas impertiret: præſertim *cùm hæ eidem, velut adverſæ Religionis aſſeclæ, nulli poſſint eſſe uſui, neque ad fortunam ipſius promovendam; ſed potiùs ad eam profligandam ac dejiciendam facere.* Hæſit ad hæc paululùm Halberſtadius: & incertus animi pendebat, utrùm hujuſmodi Reliquias petenti dare; an verò eas

(b) Erlevvein ibid. n. 4.

eas diutiùs retinere , atque ad ulteriorem animi deliberationẽ reſervare vellet ? Sed, quia Rhingravius identidem inſtabat acriùs, tandem ejus petitioni morem geſſit; Reliquiáſq; LIBORIanas, novis iterum ſigillis obſignatas , paulò pòſt ex urbe Sedanenſi ad Chriſtinam prædicti Rhingravii Conjugem tranſmiſit, unà cum his literis , traditorum Oſſium (c) ſacrorum teſtibus : *Nos Chriſtianus, Dei gratiâ Dux Brunſvicenſis & Luneburgicus &c. certum facimus, quòd Oſſa, quæ remittimus & donamus Dominæ Comitiſſa Rhingraviæ, ſint ipſamet Oſſa S. LIBORII, quæ fuerunt inventa in Eccleſia Cathedrali civitatis Paderbornenſis. In cujus rei fidem præſentes ſignavimus noſtro conſueto ſigno manuali, & ſigillavimus ſigillo armorum noſtrorum. Actum Sedani, die XII Auguſti MDCXXII.*

III. Theſaurum hunc ſpiritualem, cum adjunctis fidei probatæ literis, non ſecùs ac donarium de cœlo miſſum, cum incredibili cordis lætitia ſuſcepit Chriſtina Rhingravia, nata Princeps de Croy. Nam & ipſa conſtante fama jam pridem intellexerat, quo

(c) *Exſtant apud Cuperum in Analectis de S. LIBORIO §. 2. n. 19.*

quo ſacrilegio Chriſtianus Brunſvicenſis vel Halberſtadius veneranda hæc Oſſa Paderbornæ, unà cum argentea eorum tomba, ex Æde Cathedrali ſurripuerit. Itaque ut ipſa, velut pia *Chriſtina*, novis honoribus conſecraret, quod ab impio *Chriſtiano* profanatum & contemeratum erat; continuò in arce ſua Neovillarienſi (quæ non longè à Bajona Lotharingiæ oppido ſita erat) chariſſimum hunc theſaurum (*d*) à Sacerdote domeſtico in Sacellum Arcis deferri, ſuper aram imponi, & ibidem à miniſtris ac familiaribus ſuis ritu Catholico devotiſſimè honorari juſſit. Quin & alia ſalubriora conſilia ſecum volutabat, qua ratione B. hujus epiſcopi venerationem promoveret, eúmq; non modò privatim in ſuo caſtro gentilitio; ſed etiam publicè ab accolis undique circumfuſis coli, & in patrocinium vocari faceret. Id quod etiam anno ſequente præſtitit, non ſine jucundo miraculorum variorum comitatu; de quibus infrà copioſior ſcribendi materies offeretur.

IV. Interea Cathedralis Eccleſiæ Paderanæ Canonici de ablato (*e*) ſancti Patroni ſui

(*d*) *Erlevvein ibid, n. 4.* (*e*) *Ex lit. Archivi Pad.*

ſui corpore erant afflictiſſimi. Atque, ut illud auxiliante Deo faciliùs ad ſe reciperent, non modò aſſiduis precibus ac ſuſpiriis pulſabant cœlum; ſed etiam cooperante Epiſcopo ſuo, Ferdinando Bavaro Colonienſi Archiepiſcopo & Electore, plurimos quaquaverſum emittebant nuntios: qui in omnibus ad Mœnum & Rhenum locis (in quibus Halberſtadius ante & poſt *Höchſtanam* cladem verſatus fuerat) diligentiſſimè perveſtigarent, ubi ſacrum illud corpus ab Halberſtadio relictum vel abjectum eſſet. At priùs, quàm iidem nuntii in Lotharingiam adveniſſent, Divina Providentia theſaurum hunc perditum detexit per virum honorabilem Joannem Carolum Erlewein, tunc in ſtipendiis militaribus Philippi Ottonis Rhingravii conſtitutum; poſtea verò in Colonienſi Archiepiſcopatu Prætorem Linnenſem & ürdingenſem. Hic, dum exeunte Septembri ejuſdem anni 1622 Coloniam profecturus erat, mandatum accepit à Rhingravio ſuprà dicto, ut occaſione hujus itineris ad aulam Bonnenſem accedere, & ibidem (*f*) Electorali Sereni-

(*f*) *Erleuvein loc. cit. n. 2.*

renitati ſuæ clanculùm ac ſeorſim indicaret: *Non eſſe opus, longiori ſollicitudine angi in requirendis B. LIBORII Reliquiis. Eas ab Halberſtadio, cùm è Palatinatu in Belgium ſe reciperet, Philippo Ottoni Rhingravio ejúſq; Conjugi donatas eſſe; & etiamnum Neovillarii, in Sacello arcis, magnis honoribus cuſtodiri. Neque Rhingravium prorsùs invitum fore ad eaſdem Serenitati Suæ æquo pacto reſtituendas; ut & Sanctus ille ad locum priſtinæ venerationis redeat, & Cathedralis Eccleſia Paderbornenſis Patrono ſuo tutelari ſeſe rurſus potitam gaudeat.*

V. Difficile dictu eſt, quàm ingenti gaudio ſolatióq; perfuſus fuerit pientiſſimus Elector ex eo tam inſperato hilaríq; nuntio: præſertim cùm ex innumeris Paderbornenſium querelis jam pridem didiciſſet, quàm acerbo gemitu LIBORIani corporis jacturam defleant Cathedralis Eccleſiæ Canonici, boníq; omnes. Quare, licèt aliis occupationibus graviſſimis eo tempore diſtentus eſſet (utpote ſequenti die, quarto Nonas Octobris, Ratisbonam profecturus ad Comitia, à Ferdinando Cæſare indicta) quatriduo tamen pòſt, eundem Erlewinium

um cum honorariis literis, Kônigſteinii (*g*) die 7 Octobris ex itinere datis, ad Rhingravium remiſit: amicéq; ab eo petiit, ut Oſſa LIBORIana, ab Halberſtadio iniquè rapta (quæ in ejus caſtro detineri comperiſſet) ſibi mœſtiſſimóq; Paderbornenſi Capitulo (*h*) retradere non detrectaret. Paruit Erlewinius huic mandato. Sed quia Rhingravius interea temporis Ratisbonam pariter jam abierat, & Chriſtina ipſius Conjux modeſtè cauſabatur, LIBORIanas Reliquias injuſſu Domini Mariti ſui à ſe dimitti non poſſe; legatio illa præſenti quidem anno ſine fructu fuit. Hoc tamen exeffecit, ut Ferdinandus Elector ſub Comitiis Ratisbonenſibus cum Philippo Ottone Rhingravio ea de re frequenter egerit; & hic viciſſim Ferdinando Electori ibidem adpromiſerit, LIBORIanas Reliquias, poſt ſuum è Comitiis reditum, à ſe fideliſſimè reſtitutum iri. Id quod etiam ſequente anno factum eſſe, jam ſtatim oſtendetur.

(*g*) *Königſtein, arx & oppidum Wetteraviæ ſub Moguntino.*

(*h*) *Erlevvein ibid. n. ſ.*

CA-

CAPUT II.

Quomodo Reliquiæ LIBORIanæ à Philippo Ottone Rhingravio redditæ, & Marien-Forſtum allatæ ſint.

I. Ratisbonâ Ferdinandus Elector & Epiſcopus noſter Bonnam reverſus eſt anno 1623, menſe Majo. Statimq; ſuo Sacellano Aulico Joanni de Blier, Archidiaconalis Eccleſiæ Bonnenſis Canonico, in mandatis dedit, ut unà cum prædicto (*a*) Joanne Carolo Erlewinio in Lotharingiam proficiſcatur; & ibidem, Neovillarii in Epiſcopatu Tullenſi, à Philippo Ottone Rheni Comite LIBORIanas Reliquias ex condicto repetat, exhibitis hiſce literis (*b*) Archiepiſcopalibus, quas ex idiomate Germanico in Latinum transtuli: *Dilectioni veſtræ adhuc recenti hærebit in memoria, quid in Congreſſu Ratisbonenſi nuperrimè inter nos conventum ſit de Reliquiis B. LIBORII, Paderanæ Diœceſis noſtræ Patroni; & quòd eadem Dilectio veſtra tandem amicabili rogatu noſtro decla-*

F

(*a*) *Erlevvein in Hiſt. reductionis n. 6.*
(*b*) *Litera Archivi Paderb.*

declaraverit, ſe in iis remittendis voluntati ac deſiderio noſtro obſecuturam eſſe. Quapropter jam ad Sedem hanc noſtram reduces, latorem harum literarum, dilectum nobis devotum Joannem de Blier, Sacellanum Aulicum, & Collegiatæ Eccleſiæ ſanctorum Caſſii & Florentii in urbe noſtra Bonnenſi Canonicum, ablegavimus, ut ad veſtram Dilectionem adeat, Reliquias prædictas ab eadem decenter accipiat, & inde ad nos perferat ac perducat: amicè obſecrantes, uti veſtra Dilectio ablegatum hunc noſtrum cum Reliquiis antè dictis ad nos ocyùs remitti & expediri faciat. Quod uti nobis à Dilectione veſtra præſtandum eſſe confidimus, penitiſſimè perſuaſi, obſequentiam hanc veſtram ad augendum Dei Sanctorúmq; cultum & honorem cedere: ita & nos viciſſim amico animo promptâq; voluntate, cùm occaſio tulerit, huic gratificationi veſtræ vicem rependere non omittemus: eandem Dilectionem veſtram Divinæ protectioni devotiſſimè commendantes. Datum Bonnæ die 21 Maji, Anno 1623.

II. Interea Deus magnum hunc Sanctũ in eo terrarum tractu non paucis illuſtraverat miraculis, quorum præcipuum adhuc recenter evenerat in hunc modum. Chri-

ſtina

ſtina Rhingravia, nata Princeps de Crōy, die 21 Maji (quæ tunc erat Dominica ante Aſcenſionem Domini) è ſuo Neovillarienſi caſtro ſolennem per arva circumjacentia (c) ſupplicationem adornari curaverat; ſimúlq; antea per vicinas parœcias evulgari, quòd in hac ambarvali proceſſione circumferendæ ſint B. LIBORII Antiſtitis Reliquiæ, multis olim prodigiis ad Paderam claræ. Accurrebat ad hanc novam inſolitámq; pompam conferta multitudo populi è locis undique circumfuſis, LIBORiani corporis exuviæ decentiſſimo ornatu ferebantur à duobus Clericis, Rhingravia ipſamet abſente Conjuge ſuo comitabatur unà cum toto Aulæ ſuæ famulitio, cætera hominum frequentiſſimorum copia non minori cum devotione ſequebatur; intérq; alios perhoneſta mulier ejuſdem pagi, mœſtiſſimo animo ſecum portans filiolum circiter ſexennem, cui exſangues tibiæ & crura, novercantis naturæ vitio, ita introrsùm acta & incurvata erant, ut ei nunquam ſuis pedibus inſiſtendi, multóq; minùs ambulandi, poteſtas fuerit.

(c) *Erkvvein loc. cit. n. 9.*

III. Hæc afflicta mulier, poſteaquam totum illud ſacrum iter proſecuta, neque tamen hactenus medelæ quidpiam à Viro Sancto conſecuta eſſet; finita ſupplicatione nihilo dejectior, cœpit iterum novam animo fiduciam capere, LIBORIanas Reliquias è Parochiali templo *(d)* ad Sacellum Arcis aſſectari, ibidem ante genua ſua filiolum enervem humi ponere, iteratíſq; gemitibus ac ſuſpiriis B. LIBORIUM ardenter implorare, ut huic parvulo ſuo (quoad ſalvo animæ ipſius periculo fieri poſſet) membrorum ſuorum integritatem ab Omnipotente Deo in cœlis impetret. Ecce autem hîc repentinum & grande miraculum! Sub hac ipſa oratione puer incipit, primùm ſe in terra circumagere, deinde in ſublime conniti, tum in pedes erigi, demum greſſus aliquot procedere, quanquam (ùt in pueris iturientibus fieri ſolet) adhuc timido & in utramque partem vacillanti corpore. Atque ex eadem hora non ſolùm in promovendo gradu; ſed etiam in accipienda pedum firmitate ita viſus eſt proficere, ut intra dies paucos rectiſſimè progredi ac deambulare

(d) *Erlevvein ibid. n. 10. - Cuper. in Analect. §. 2.*

lare potuerit, non ſinè maxima vicinorum omnium admiratione ac ſtupore. Superſunt adhuc in Epiſcopali Archivo noſtro diverſæ literæ è Lotharingia miſſæ, dataq; ab Archiatro Sereniſſimi Ducis, ab ejuſdem Chirurgo, à Notario Apoſtolico, & ab ipſomet Neovillarienſi Parocho ſeu Curato: qui omnes præclariſſimis teſtimoniis veritatem hujus prodigii corroborant; unóq; ore & calamo confitentur, inopinam hanc ſanationem longè illuſtriorem fuiſſe, quàm ut ſolis naturæ viribus adſcribi queat. Populus verò, prodigioſum hunc eventum coram oculis videns, ex eo tantam exiſtimationem, amorem, ac devotionem erga magnum hunc Sanctum hauſit, ut proximo feſto Pentecoſtes ad arcem Rhingravianam catervatim accurrerit, ſancti hujus Thaumaturgi Oſſa in ejuſdem Caſtri Sacello veneraturus.

IV. Cùm ergò paulò pòſt, nimirum die ſexta Junii, Bonnenſes Legati Neovillarium attingerent, & Philippum Ottonem Rheni Comitem domi ſuæ non invenirent (profectus enim erat Pariſios ad Aulam Regis) Electorales Ferdinandi literas cum vene-

neratione debita (*e*) porrexerunt ejuſdem Conjugi, Chriſtinæ Principi de Croy. Quæ & ambos Legatos, Rhingravii abſentis juſſione, humaniſſimè excepit, LIBORIanas Reliquias per Sacellanum domeſticum protulit, veterémq; mappam lineam, in qua conſutæ & obſignatæ erant, à quibuſdam Sacerdotibus coràm aperiri fecit, exſpirante ex iiſdem protinus odore fragrantiſſimo. Tum deinde partem alicujus Oſſis ad conſervandam promovendámq; devotionem Liborianam pro ſe eximi, eámq; Hermæ ſive Statuæ pectorali, eleganter è ligno factæ, includi juſſit: Cætera verò Oſſa omnia & ſingula, prout ea quondam acceperat, præſentium Sacerdotum manibus in arcam imponi, eam in panno cæruleo conſui, redimiculo ſerico ejuſdem coloris undique circumligari, & ſigillis quàm plurimis obſignari fecit. Quo peracto, mappam illam, cui Liborianæ Reliquiæ ab Halberſtadio inſutæ fuerant, gratiosè inter præſentes diviſit: arcam verò, ſacrorum Oſſium cuſtodem, Electoralibus Legatis tradidit, unà cum diverſis perpetrati miraculi

(*e*) *Erlevvein ibid. n. 7.*

raculi teſtimoniis, & elegante epiſtola gallicè conſcriptâ, quam hoc modo Papebrochius noſter (*f*) Latinè reddidit:

V. *Perquàm felicem me credidi, quòd in manus meas venerint veneranda Reliquia S. LIBORII: & nunc honori maximo mihi duco, quòd eaſdem poſſim reponere in manus Celſitudinis Veſtra. Reddo ergò illas ſincero affectu: tum quia Celſitudinem veſtram plurimùm revereor: tum quia obedire debeo Domino & conjugi meo Principi Salmenſi, id jubenti. Fatebor equidem, haud ſinè quodam animi repugnantis ſenſu id à me fieri, propter devotionem, quâ erga magnum illum Dei Servum non ſolùm afficior ego; ſed & ſubditi noſtri omnes, univerſaq; vicinia. Adeò enim fervens illa eſt, ut hiſce Pentecoſtalibus Feſtis viſus ſit undique accurrere populus; Deúſq; ſe oſtenderit in ſuo Sancto dupliciter admirabilem, dum ex ſacrilego Reliquiarum ejus raptu majorem ipſius gloriam elicuit, noménq; miraculis illuſtravit: quorum relationem mitto Celſitudini Veſtra, teſtium fide dignorum affirmatione, primi quoque Medici Celſitudinis Sua Lotharingica appro-*

 batio-

(*f*) *Exſtant apud Cuper. in Analectis de S. Liborio §. 2. n. 12.*

batione, & Notarii Apoſtolici ſubſignatione munitam. Ad conſervandam porrò ejuſmodi devotionem, ſignis tam evidentibus roboratam, particulam aliquam ſanctarum iſtarum Reliquiarum mihi reſervavi, quam cum bona venia Celſitudinis Tuæ reverenter aſſervabo: humiliter ſupplicans, ut cætera ſacri corporis Oſſa, quæ Tibi mitto, recipere digneris tanquam ab ea, quæ erit ſemper Celſitudinis Tuæ humillima & obedientiſſima Famula

Chriſtina de Croy.

VI. Datæ erant hæ literæ Neovillarii die 7ma Junii, anno 1623: alteróq; manè Archiepiſcopales Legati, cum acceptis Reliquiis diſcedentes, octiduano itinere (g) die decima quinta Junii feliciter attigerunt Marien-Forſtum, Brigittini Ordinis Monaſterium, duabus propemodum horis Bonnenſi ab urbe diſſitum. Illuc Ferdinandus Elector, cùm de proſpero ſacrorum Oſſium appulſu repentè edoctus eſſet, poſtridie miſit Nobilem ſtrenuúmq; Dominũ Benedictum Schweindel Camerarium ſuum, & Rdum Patrem Georgium Schrotelium, Societatis Jesu Sacerdotem, qui moderan-

(g) Erlevvein loc. cit. n, 12. & 13.

derandæ ipſius conſcientiæ & rebus animæ ſecretis præerat. Hi, ùt idem Elector juſſerat, præſente ejuſdem Cœnobii *Priore* ſeu Antiſtite, primùm reſerare ſigilla, ciſtam aperire, & Reliquias inſpicere: deinde ciſtam rursùs occludere, pannis ac redimiculis antea circumpoſitis involvere, novis ſigillis Archiepiſcopalibus obfirmare: poſtremò etiam Chriſtinæ Rhingraviæ literas, cum adjunctis miraculorum inibi factorum teſtimoniis, ad Sereniſſimum perferendas accipere; ciſtam verò cum apportatis Reliquiis Patri *Priori* tradere, & jubere, ut eam in Eccleſiæ ſuæ Sacrario tam diu integram ac inviolatam cuſtodiat; donec alia Sereniſſimi Principis mandata reſponſum perferant, an & quando hæc Oſſa, maturiori prudentium virorum examine recognita, Paderbornam remitti debeant.

CAPUT III.

Quomodo Reliquiæ LIBORIANÆ è Cœnobio Marien-Forſtano reductæ ſint Paderbornam.

I. Bollandus, in Commentario Hiſtorico

de vita & rebus LIBORIanis §. 7. n. 53. videtur exiſtimâſſe, quòd B. LIBORII Reliquiæ poſt quatuor Menſes è Cœnobio Marien-Forſtano revocatæ, & Paderbornenſi Epiſcopatui reſtitutæ fuerint. Idem pariter opinatus eſt P. Henricus Turckius S. J. in Hiſtoria manuſcripta : in qua (*a*) aſſerit, prædictas *Reliquias, cùm in Marienforſt quadrimeſtri quieviſſent, nono Kalendas Novembris eodem anno 1623 in Diœceſin Paderbornenſem remiſſas, atque Neuhuſii in Domicilio Principum reverenter depoſitas ; inde verò anno 1627 pridie Kalendas Novembris ſummo cum gaudio ac triumpho Paderbornam in Cathedralem Eccleſiam rurſus illatas eſſe.* At utrumque Scriptorem, licèt aliàs integerrimum, hac in re aliquantulùm aberraſſe neceſſe eſt; cùm ex literis Archivi Cathedralis Eccleſiæ noſtræ luculenter conſtet, LIBORIanas Reliquias in Cœnobio Marien-Forſtenſi adhuc fuiſſe die duodecima Januarii anno 1627, utì ex rebus infrà dicendis planum fiet. Sœpè quidem eo anno, quo Marien-Forſtum adductæ ſunt, Cathedralis Eccleſiæ Canonici urgentiſſimis literis (*b*) obteſta-

(*a*) *Turck. ad ann. 1627.* (*b*) *Litera Archivi Pad.*

obteſtati ſunt Ferdinandum Electorem, ut eas quàm primùm ad ſe remitteret; neque Eccleſiam ſuam tam exoptato fortunatóq; theſauro diutiùs orbari ſineret. Imò in unis literis, eodem anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo tertio exaratis, non ſolùm petierunt, faciendæ huic reductioni certum diem tempúſq; præfiniri; ſed etiam univerſos Patriæ Status Ordinéſve Diœceſanos ad eam celebritatem Epiſcopali Edicto convocari: ut ſanctum hunc Patronum ſuum debitâ cum ſolemnitate in finibus Diœceſanis excipere, & inde cum honore maximo in ſuam ſuíq; Sereniſſimi Principis Eccleſiam reducere poſſent. At Elector, non imprudenter veritus, ne quid fraudis ab Halberſtadio, vel Miniſtris ejus, in adulterandis (c) hujuſmodi Reliquiis commiſſum foret; longè diutiùs, quàm Capituli Paderbornenſis deſideria tulerant, ſolennem theſauri hujus reductionem diſtulit: uſque dum Reliquiarum identitas (quam aliqui ſine ſufficienti fundamento ſuſpectam fecerant) partim è diverſis Rhingravii & Rhingraviæ teſtimoniis, partim ex dili-

(c) *Litera Archivi Paderb.*

diligenti miraculorum ab iiſdem allegatorum examine, manifeſtiùs eluceret.

II. Huic remoræ, primùm injectæ, ſupervênit poſtmodùm & alia magìs voluntaria: nimirum quòd interea temporis Dringenbergæ in Epiſcopatu noſtro, pro illuſtriori Oſſium ſacrorum cuſtodiâ, fabricari cœperit nova Lipſanotheca magni ponderis, & ex puriſſimo argento cuſa; quæ eo tempore octo millibus Florenorum aureorum æſtimata fuit. Opus illud prælustre, cum immortali gloria Nobiliſſimæ & à Deo benedictæ Familiæ ſuæ, Divo LIBORIO liberaliſſimè obtulerunt Perilluſtres devotiſſimíq; Conjuges, Wilhelmus Weſtphalen Archiſatrapa Diœceſis Paderanæ, & ejuſdem digniſſima Conjux Eliſabetha de Loë; quæ anno 1613, poſt obitum primi Mariti ſui acatholici, Joachimi Baronis de & in Büren, ſedula inſtructione (*d*) R. Patris Friderici Rörich Societatis JESU Sacerdotis, ad antiquam fidem Romano-Catholicam non ſinè magno pietatis guſtu reverſa erat. Amborum nomina, proavi, & ſigna gentilitia, novæ huic Lipſanothecæ elegan-

ter

(*d*) *Hiſt. Colleg. Paderb.*

ter inciſa ſunt, cum hac inſcriptione rerum præteritarum teſte:

D. O. M.

V. M.

Sancti LIBORII, Patroni Paderbornenſis, monumentum hoc novum, priore à veſano milite per calamitoſa tempora infelice exitu ſurrepto, ejus honori & Patriæ hactenus deploratæ incolumitati reſtaurandis, Wilhelmus Weſtphaël Archiſatrapa, & Eliſabeth à Loë Conjuges, fieri fecerunt, Anno M. DC. XXVII.

Poſt eam inſcriptionem in loco plano appoſiti ſunt plures antiqui & grandiores nummi argentei; & infra hos nomen Artificis vel Magiſtri, materiam & laborem ſuum exprimentis per hæc verba, ex idiomate germanico latinè reddita: *Hunc laborem ego Joannes Krako Dringenbergæ confeci ex talibus Daleris, quales hîc infrà appoſiti ſunt. A. 1627.*

III. Cùm igitur novum illud opus ex animi voto procederet, & jam paulatim eò perfectionis deductum eſſet, ut brevì manum extremam videretur præſtolari; Illuſtriſſimum Capitulum, die 12 Januarii anno 1627 ad repetenda S. LIBORII Oſſa

novos

(*e*) novos iterum Oratores ac Legatos adornavit, Theodorum Adolphum de Reck Majoris Eccleſiæ Camerarium, & Wilhelmum Weſtphalen Archiſatrapam, novæ Arcæ LIBORIanæ conditorem. His demandatum, ſinè mora Bonnam concedere; præmiſſâq; novi anni gratulatione, & aliis honorum officiis, Ferdinandum Electorem & Antiſtitem noſtrum iterum atque iterum obſecrare, *ut B. LIBORII Reliquias tandem è Marien-Forſtanâ cuſtodiâ ſolveret, eaſdémq; ſuis amborum Legatorum curribus in Diœceſin Paderbornenſem reportari ſineret.* Quid ad hæc reſponderit Sereniſſimus, in veteribus Capitularis Archivi chartis non invenio. Veriſimillimum eſt, eum his Legatorum poſtulatis clementer annuiſſe: præſertim cùm aliunde conſtet, LIBORIanas Reliquias eodem anno ad arcem Neuhuſanam remiſſas, in Sacello Principis depoſitas, ibíq; ſaltem à menſe Martio, frequentiſſimâ Paderbornenſium Studioſorũ viſitatione cultas & honoratas eſſe, donec nova Sancti noſtri Lipſanotheca per decurſum hujus anni perfectiùs elaborata ac perpolita foret.

Quo

(*e*). *Ex Literis Archivi Paderb.*

Quo peracto, tandem cum Epiſcopali conſenſu ad ſolennem ſacrorum Oſsium reductionem procedere placuit; cúmq; in finem Edicto publico præfinire (*f*) Dominicam ante *Omnium Sanctorum*. quæ tunc erat poſtrema dies Octobris. Quali autem apparatu & magnificentiâ res hæc geſta ac digeſta fuerit; ad conſervandam hujus lætitiæ & feſtivitatis memoriam, juvat hîc explicatiùs commemorare.

IV. Unâ alterâve ſeptimanâ priùs, quàm ea celebritas inſtitueretur, ad eam humaniſsimè invitati rogatíq; ſunt quatuor Abbates Infulati, nimirum Wilhelmus Rive Abbas in Abdinghoff, & alii tres: qui & omnes, tametſi eorum nomina mihi hactenus ignota ſint, ſtato die cum Pedo & Infula comparuêre. Pridie poſt prandium horâ conſuetâ decantatæ ſunt in ÆdeSumma primæ Veſperæ de S. Liborio, & compulſatæ ſimul in turribus campanæ omnes per totam urbem. Sequenti manè circa medium quartæ (*g*) cœpit ibidem peragi Officium Eccleſiaſticum, puta *Matutinum*, *Lau-*

(*f*) *Ex Turckio, & veteribus Mſſ.* (*g*) *Ex veteri Manuſcripto Cathedr. Eccl.*

Laudes, *Prima*, & cæteræ *Minores Horæ*, continenter in uno curſu : deinde conſueta *Miſſa Parochialis* ; & poſt eam concio, quæ circiter à medio ſeptimæ protracta fuit uſque ad medium octavæ. Hac autem finitâ, totus Clerus Eccleſiaſticus & Regularis, cum ſtudioſa Juventute & immenſo affluxu populi, ſacrorum Oſsium excipiendorum cauſâ procedebat foras ad cœmiterium novum extra portam occidentalem urbis: ubi nova Lipſanotheca argentea, adhuc inanis & vacua, ſub elegante ſplendidóq; tentorio Liboriani Corporis adventum exſpectabat. Interea verò, dum ibidem ex urbe populus cum prædictis Abbatibus, Clericis, Religioſis, & aliis Patriæ Primoribus conveniret; etiam ex altera parte ferebantur illuc deſideratiſsimæ Divi noſtri Tutelaris Reliquiæ, quas è vicina arce Neuhuſana cum inſigni pompa adducebant Reverendiſsimi & Illuſtriſsimi Domini, Cathedralis Eccleſiæ Præpoſitus ac Decanus. Præcedebant pio Catholicarum ſupplicationum ritu (*h*) viciniores Parochiæ, Delbrugenſis, Bokenſis, Elſenſis, & Neuhuſana, cum

(*h*) *Turck. in Hiſt. Mſ.*

cum ſuis crucibus & vexillis, devota carmina in agris concinentes. His è veſtigio inſiſtebat miles ruſticanus cum feſtivo tympanorum ac fiſtularum ſono. Tum deinde ſequebantur quatuor pulchræ & pretioſis equis inſtructæ rhedæ : in quarum unâ ac primariâ, ſedebant Cathedralis Eccleſiæ Præpoſitus ac Decanus, LIBORIani corporis Oſſa apud ſe habentes ; in aliis verò tribus, alii honoratiores Miniſtri Principis, qui ſolennem hanc reductionem ſuo comitatu & præſentia condecoratum venerant. Poſtremo loco exhibebant ſe quinquaginta equites de cuſtodia Principis, multíq; ſclopetarii pedites, qui Neuhuſanos apparatus jucundo militarium inſtrumentorum ſtrepitu concluſêre.

V. Cùm apud novum cœmiterium è ſuo curru exſcendiſſent Cathedralis Eccleſiæ Præpoſitus ac Decanus ; prædicti quatuor Abbates LIBORIanas Reliquias *(i)* ab iiſdem aſſumebant cum profunda reverentia, inferebant in tentorium, reponebant in menſa prope novam Lipſanothecam, aperiebant ſigilla redimiculo ſerico impreſ-

(i) Turck. ibidem.

ſa ; &, cùm hæc omnia adhuc ſalva & inviolata reperiſſent, ſacra Oſſa alter poſt alterum pientiſſimè oſculati ac devenerati ſunt. Idem illud ſub Litaniis majoribus, interea decantari cœptis, cum ſingulari devotionis affectu peregerunt omnes variarum Eccleſiarum Canonici, Rectores, Vicarii, Religioſi, aliiq; Viri primarii diverſorum Statuum, Ordinum, ac Dignitatum. Hac autem oſculatione finita, receptorum Oſſium theſaurus novæ Lipſanothecæ reverenter impoſitus eſt; ſimúlq; ſignum editum ad inſtantem ſupplicationem, quæ ex eo loco, per Occidentalem plateam & utrumque forum, pulcherrimo ordine uſque ad Eccleſiam Cathedralem deducta fuit. Initium procedendi faciebant literarum tam inferiorum quam ſuperiorum Studioſi è Gymnaſio Societatis Jesu, omnes egregiè compti, & juxta novem Claſſium diviſionem in ſua ſigna diſtributi. Poſt illos incedebat Clerus, tam è Cœnobiis, quàm ex aliis Eccleſiis congregatus; quorum potiſſima & ſpectabilior pars *(k)* ardentes cereos

(k) *Ex Turckio, & veteri Manuſcripto Cathedralis Eccleſia.*

reos aut funalia præferebat. Lipſanotheca LIBORIana portabatur ipſorúmmet Abbatum humeris, quanquam aſſiduè ſuccollantibus & juvantibus aliorum Ordinum Sacerdotibus. Ponè ſequebantur Principalis Aulæ Primates, Patriæ Proceres, Conſiliarii, Miniſtri, & quidquid honoratiorum perſonarum aderat. Cætera multitudo civium & accolarum, in ſuas parœcias diſtributa, feſtivam hanc ſupplicationem comitabatur eo cum gaudio & animorum hilaritate; ut univerſa civitas, quæ intra LIBORIanæ abſentiæ annos ad fidem Catholicam reducta erat, quaſi à morte ad vitam revocata eſſe videretur. Unum fortè ad augendam hujus pompæ celebritatem adhuc deerat, quòd Paderani Cives inter iſta Reductionis LIBORIanæ ſolennia non videantur in armis conſtitiſſe. At hic defectus eorum impotentiæ magìs, quàm voluntati adſcribendus erat. Siquidem Halberſtadius quinquennio abhinc eoſdem non ſolùm armis; verùm etiam bonis omnibus eum in modum exſpoliaverat, ut pleriſque, ſaltem egentioribus, plus curarum eſſe debuerit de reſtauranda re domeſtica & aliis mediis

ad victum neceſſariis, quàm de comparandis bombardis, gladiis, & haſtilibus.

VI. Prope Eccleſiam Cathedralem ante propylæum illud, quod vulgò *Paradiſum* nominant, erectus erat inſignis (*l*) arcus triumphalis cum quibuſdam ingenioſis doctiſq; inſcriptionibus. Et, quia tum fortè Halberſtadius, prioris Lipſanothecæ LIBORIANÆ raptor, ſuperiore jam anno (Sæculi iſtius viceſimo Sexto) celeriori morte è vivorum numero exturbatus erat, utì jam alio in loco declaratum eſt: idcirco etiam huic arcui inter alia magnis characteribus inſcriptus erat hic verſus latinus & chronologicus, acceleratæ mortis cauſam non improbabili augurio continens:

RaptoreM paterIs, LIBORI. AbLatVs; In Isto,
QVo repeDas, anno VIVere non paterIs.

Subſiſtebat hîc paululùm Clerus cum toto populo; & arca LIBORIana reponebatur interea in propylæo ſeu *Paradiſo*, ad audiendas literatæ juventutis acclamationes. Fiebant hæ ante arcum triumphalem à bene

(*l*) *Turck. in Hiſt. Mſ.*

à bene comptis lectiſſimiſq; (*m*) adoleſcentibus Gymnaſii Theodoriani Societatis Jeſu : qui ibidem ad honorem S. LIBORII Patroni, funeſtè nuper abducti, nunc autem glorioſè reducti, per quadrantem horæ aut paulò ampliùs, nitidiſſima carmina declamabant, non ſine maximo eruditorum omnium applauſu & admurmuratione. His autem finitis, iterum in humeros levabatur ſacra Lipſanotheca, deferebatur in Eccleſiam, & reponebatur in peculiari loco, ante aram S. Crucis honorificè præparato.

VII. In primo Eccleſiæ Cathedralis ingreſſu, canorâ voce intonari cœpta eſt vetus illa Antiphona : *Sancte LIBORI, Confeſſor Chriſti, miſeris tuis ſubveni ſervis; & iram, quam meremur, precatu tuo averte : ne de gregis tui damno inimicus exultet. Alleluja.* Quæ Antiphona primùm (*n*) à Muſicis inter feſtivos tubarum ac tympanorum æneorum ſtrepitus leviore cantu extracta; poſtea verò à toto Clero gravioribus modis iterata eſt, unà cum Verſiculo & Oratione conſueta. Interea ſuprà dictus Abbas Ab-

G 3 ding.

(*m*) *Ex Hiſt. Colleg. Paderb. & veteri Mſ. Cath. Eccl.* (*n*) *Ex eodem vetere Mſ.*

dinghoffenſis præparabat ſe ad ſolenne Sacrificium Miſſæ, quod in ara S. Crucis cum exquiſita muſica celebratum eſt, expoſito priùs ad publicam adorationem Diviniſſimo Sacramento. Poſt Miſſam, cùm ad prandium dimitteretur populus, venerabile Sacramentum in eodem altari Crucis manſit expoſitum, uſque dum iterum conveniretur ad Veſperas: ita tamen, ut coram eo ſemper aliqui è Cathedralis Eccleſiæ Clero, poſt ſemihorariam viciſſitudinē, flexis genibus precarentur, Deúmq; ſub ſpeciebus Euchariſticis latitantem adorarent. Poſt Veſperas piè decantatas, habebatur honoraria dictio, ſeu panegyris de virtutibus, meritis, patrocinio, ac thaumaturga poteſtate S. LIBORII; utì etiam de veteri cultu ac devotione, ante Lutheranam deformationem erga magnum hunc Patronum exhiberi ſolitâ. Poſt hanc deniquè concionem ſeu panegyrim, toti populo, qui frequentiſſimus aderat, cum venerabili Sacramento data eſt benedictio: eâq; peractâ, non ſolùm Hierotheca Sacramenti; ſed etiam Lipſanotheca Liboriana, ad aſſignatam ſibi cuſtodiam reportata ſunt, interſonante Hymno Ambroſiano: *Te Deum &c.*

PARS QUINTA.

De multiplicibus beneficiis, S. LIBORII patrocinio impetratis poſt abductionem & reductionem Reliquiarum ejus.

CAPUT I.

De beneficiis ejus patrocinio præſtitis à tempore abductionis uſque ad annum 1648.

I. In ſuperiore hujus opuſculi (*a*) parte jam aliquatenus oſtenſum eſt, quâ miraculorum gloriâ LIBORIanæ Reliquiæ noſtræ, poſt iniquam & ſacrilegam ſuî abductionem, coruſcare cœperint Neovillarii in Lotharingia. Hæc autem virtus thaumaturga ibidem operari non deſiit, poſteaquam LIBORIanæ Reliquiæ è Lotharingia repetitæ, & in Marien-Forſtano Brigittini Ordinis Monaſterio prope Bonnam depoſitæ ſunt. Nam apud eam partem Oſſis, quam Chriſtina Rhingravia ad conſervandam Sancti noſtri memoriam ac devo-

(*a*) *Parte 4. c. 2.*

tionem ſibi reſervaverat, intrà dies paucos *(b)* novæ rurſus ægrotorum hominum ſanationes LIBORIano patrocinio contigêre. Et in primis quidem vir claudus, qui ſub-alarium fulcrorum adminiculo Neovillarium adrepſerat, ibi ad eam pedis utriuſque rectitudinem pervênit, ut hujuſmodi fulcris in poſterum non egeret. Deinde fœmina perhoneſta, cùm poſtridie Kalendas Julii in Sacello Caſtri Neovillarienſis Divinis Officiis devotè intereſſet, ſub ipſo Miſſæ Sacrificio repentinum unius oculi viſum recepit. Alii duo, quorum unus ab anno uno, altera à quinque annis utriuſque luminis uſuram perdiderat, plenam oculorum ſuorum ſanitatem LIBORIano patrocinio conſecuti ſunt: quemadmodum teſtatur ipſamet Rhingravia in ſuis literis, eodem anno 1623, die 25 Julii, ad Ferdinandum Electorem quà Epiſcopum Paderbornenſem datis. Imò & addit, ex innumeris perſonis, LIBORIanæ invocationis cauſâ Neovillarium accurrentibus, vix unam alterámve recedere, quæ non aliquid ſolatii aut levaminis ab eodem Sancto reportaverit.

(b) Cuper. in Analectis Liborianis §. 2. n. 15.

rit. *Hæc autem ſcribo*, ait ipſa (c) in literis antè dictis, *ex mandato Domini mei Principis Salmenſis, qui me juſſit ea mittere ad te : ut, ſi fortè aliquod tibi reſtet dubium, utrum eæ ſint veræ (S. LIBORII) Reliquiæ, non dubites ampliùs. Incredibile enim eſt, quanta ſit devotio erga bonum iſtum Sanctum. Tantáq; eſt affluentia populi, ut exprimi verbis nequeat; paucæq; accedant perſonæ, quæ non referant ab iis ſolatium.*

II. Non minoris prodigii loco cenſeri debet ſubitanea illa vitæ & morum converſio, quâ Paderani cives, abſente corpore LIBORIano, ad antiquam fidem Romano-Catholicam velociſſimè ſimul ac feliciſſimè regreſſi fuêre. Anno Sæculi iſtius viceſimo 2do, cùm Halberſtadius (dictus aliàs *Chriſtianus Brunſvicenſis*) proditione civium Paderbornam occuparet, ferè tota civitas damnatis Lutheri dogmatis adhærebat; exceptis quibuſdam pauculis, qui vel à Cathedralis Capituli miniſteriis erant, vel indefeſſo Patrum Jeſuitarum ſtudio è ſequioris doctrinæ tenebris ad Eccleſiæ Romanæ lucem ſe retraxerant. Contrà verò quin-

(c) *Apud Cuper. loc. cit. n. 16.*

quennio pòſt, cùm ablata S. LIBORII Oſſa communi plauſu Paderbornam reducerentur, ferè tota civitas (*d*) unà cum Senatoribus Conſulibúſq; ſuis rejecto Luthero Catholicam ſe ferebat: ídq; tam incredibili celeritate geſtum erat, ut altero ſtatim anno poſt funeſtam LIBORIani Corporis abductionem, plùs quàm dimidia civium & incolarum pars Lutheranam doctrinam ejurârit. Unde autem hæc repentina animorum converſio? Unde tam velox & improviſa abſceſſio ab inveteratis erroribus; niſi ex peculiari Dei gratiâ, per S. LIBORII preces è cœlo datâ?

III. Equidem non ignoro, in hac civium Paderanorum converſione plurimùm deſudaſſe (*e*) Rdum P. Caſparum Brandis, Societatis JESU Sacerdotem: quippe qui & publicis in Cathedrali templo concionibus, & privatis quotidie congreſſibus alloquiíſq; indurata civium hæreticorum pectora ſtudebat emollire. Sed hoc ipſum pariter ab annis quadraginta & ampliùs ante illum egerant permulti alii ejuſdem Societatis JESU Presbyteri, non minore animarum

(*d*) *Hiſt. Colleg. Paderb. S. J.* (*e*) *Hiſt. Colleg. Pad.*

rum zelo conſpicui: & tamen hactenus ab iiſdem adhuc valde parùm in expugnanda urbis & civium hæreſi effectum erat. Alii opinantur, Paderanos ad repentinam hujuſmodi mutationem inductos eſſe, partim innumeris afflictionibus, à *Chriſtiano Brunſvicenſi* ante annum acceptis; partim verò multiplicibus infortuniis ac pœnis, quæ poſt LIBORIani Corporis violationem ſeſe plenis iratum cœleſtium procellis in ejusdem *Chriſtiani* verticem effudêre. Et hæc opinio quidem eſt maximè veriſimilis ac prudenti fundamento nixa. Quomodò enim fieri poterat, ut civibus Paderanis non incideret interdum ſalutaris aliqua cogitatio, motúſq; cordis ad abjicienda Lutheranæ doctrinæ placita, cùm viderent, Lutheranum hunc Principem, peractâ Oſſium LIBORIanorum aliarúmq; rerum ſacrarum prædâ, non modò brachii feroſcientis reſectione mulctatum; ſed etiam intrà breve tempus tot acerbis funeſtiſſimíſq; cladibus à Deo caſtigatum eſſe? Et eâ quidem de cauſâ (uti fatebatur ipſemet) quòd *bonum illum Senem*, puta S. LIBORIUM, *in veteri ſua ad Paderam quiete non reliquiſ-*

liquiſſet? Attamen, ſi converſionem hanc & ejuſdem circumſtantias rectè inſpicio, edicere cogor, eam præcipuè poſt Deum adſcribi oportere S. LIBORIO, ejuſq; meritis & patrocinio. Unde enim & à quo impulſore erat ſalutaris illa cogitatio motúſq; cordis; quàm à ſolo Deo? Qui, utì Halberſtadium punire voluit propter violationem Offium Liborianorum; ità pariter ejuſdem punitione, civium Paderanorum oculos aperuit, corda movit, voluntates inflexit, ut proculcatis novorum hæreſiarcharum dogmatis, redirent ocyùs ad antiquam fidem, cultúmq; veteris Patroni ſui, qui pro ipſorum urbíſq; totius bono aſſiduè precabatur in cœlis. Quòd ſi autem illa converſio fuerit à Deo, & S. LIBORIO tanquam interceſſore ac Patrono; etiam fateri neceſſe eſt, eam inter prodigioſa Divinæ bonitatis & omnipotentiæ opera numerari oportere. Licèt enim repentina converſio paucorum hominum obſtinatorum ſinè peculiari miraculo poſſet confici; nemo tamen facilè cenſebit, citra miraculum fieri poſſe converſionem ejuſmodi, quâ tota civitas aliqua, vel certè potiſſima pars

totius

totius urbis, abſque omni externa vi & coactione, ſimul una vice ad pientiorem vivendi methodum ſe reducit. Sanè in hoc eventu oportebit uſurpare illud Exodi 8: *Digitus Dei eſt hic.* Vel exclamare cum Rege Citharœdo Pſ. 76: *Hæc mutatio dexteræ excelſi.*

IV. Ex eo tempore, de ſalutaribus B. LIBORII auxiliis nec obſervari multa, nec ad poſteritatis memoriam adnotari potuêre, ob aſſidua diuturnáq; Religionum diſſentientium bella: ſub quibus nova Lipſanotheca LIBORIana anno 1631 ſecuritatis cauſâ Monaſterium Weſtphaliæ deportata, atque ibidem in templo Cathedrali uſque in annum ejuſdem Sæculi quinquageſimum cuſtodita eſt. Res una tamen per id tempus Monaſterii contigit, quæ poſtea S. LIBORII cultum totâ fermè Italiâ propagavit. Inter varios variorum Principum Legatos, qui anno 1644 cudendæ pacis Weſtphalicæ cauſâ Monaſterium perrexerant, advênit etiam ex Italia Dominus *Peregrinus Carlenus*, ad S. MARIAM Abbas Ameriæ in Umbria: quem intra breve tempus tam acerbi dolores calculi ibidem oppreſſêre, ut

ut præ magnitudine ſuorum cruciatuum neſciret ampliùs,quò ſe verteret; aut unde auxilium ſalutémq; in morbo tam acuto peteret. In his anguſtiis P. Bonaventura de Rutheno *(f)* Provinciæ Rhenanæ Capucinus (quo ad moderandas conſcientiæ rationes utebatur) commodùm inculcabat ipſi, ut ad S. Liborii opem ſe converteret: hunc enim ab antiquiſſimis temporibus (*g*) ſingularem contra dolores calculi Patronũ eſſe; & jam longâ experientiâ conſtare, quod peculiarem à Deo vim & virtutem habeat ejuſmodi cruciatibus medicandi. Simul etiam porrigebat ei conſuetam vulgatámq; *Antiphonam*, *Verſiculum*, *& Orationem* de S. Liborio, paſſim in his angoribus adhiberi ſolitam: ſtatímq; vidit, ſuaſionem ſuam non modò fructuoſam, ſed etiam ſalutiferam exſtitiſſe. Nam,ut primùm ſuprà dictus Abbas Antiphonam & Orationem illam aliquoties magnâ cum fiduciâ recitâſſet; ſub ipſo Miſſæ Sacrificio (quod ad ejuſdem Sancti honorem celebrari fecerat) repentè omnem cruciatuum ſuorum acerbitatem

(f) Credò. Rhüden, Oppidum Angariæ, (g) Acta Eccleſiæ Paderb. to. 5. Ss. Julii, pag. 430. n. 3.

bitatem ſibi adimi, penitúſq; extingui ſenſit.

V. Similem opem non longè pòſt in iiſdem calculi & arenarum doloribus experti ſunt Auguſtinus Carlenus Cathedralis Eccleſiæ Amerinæ Canonicus (Abbatis Carleni Frater) multíq; alii in eodem Italiæ tractu, qui prædictam Antiphonam & Orationem à Carleno Abbate per literas acceperant. Atque ideo non ſolùm Abbas antè dictus; ſed etiam totum Cathedrale Capitulum Eccleſiæ Amerinæ ab Illuſtriſſimo Capitulo Paderbornenſi ardentiſſimè petiit, ſaltem unam alterámve parvam particulam ſibi donari de Corpore S. Liborii, quâ & inceptus ejuſdem cultus in Italia promoveri, & novis in dies incrementis amplificari queat. Mirificè placuit Paderano Capitulo tam incenſa hominum extraneorum erga S. Liborium pietas. Et quia tunc temporis adhuc nova ac prorsùs inuſitata res erat, Liborianas Reliquias ab hominibus tam longo terrarum ſpatio disjunctis peti; ipſúmmet Capitulum Paderbornenſe apud Sereniſſimum Principem & Epiſcopum ſuum, Ferdinandum Electorem Coloni-

lonienſem, pro impetrandâ earum impertiendarum licentiâ ſupplicavit. Hac autem perfacilè acceptâ (nam & ipſe Elector gaudebat maximopere, venerationem cultúmq; ſancti hujus Patroni noſtri apud exteras Nationes tantis prodigiis inclareſcere) tandem anno 1646 die nona Junii, Carleno Abbati pro Cathedrali Eccleſiâ Amerinâ donatæ ſunt duæ particulæ de ſacro illius Corpore: una tibiæ, digitali circiter longitudine; & altera cranii, medium ferè pollicem æquans. Utraque ſequenti anno 1647 à prædicto P. Bonaventura Capucino, in argenteo benéq; obſignato vaſculo, Ameriam deportata; paulóq; pòſt (nimirùm duodecima die Maji) à Dño Gaudentio Polo, ejuſdem urbis Epiſcopo, in Eccleſiam Cathedralem ſplendidiſſimè introducta eſt: eâ miraculorum concomitantium & ſubſequentium gloriâ, ut exinde ferè tota Italia Liborianis laudibus perſonare cœperit, utì ſequenti capite uberiùs declarabitur.

VI. Interea Diœceſis Paderana in præcipiti periculo ſtabat, ne exemplo aliorum plurium Epiſcopatuum, qui infauſtâ pace Weſt-

Weſtphalicâ prorsùs extincti ſunt, Epiſcopali pedo ſubtraheretur, venirétq; in manus Haſſicas. Licèt enim Balduinus Remontius Gubernator Widenbrugenſis anno 1646, die prima Decembris, egregio feliciq; ſtratagemate Paderbornam ab Haſſis receperit, fortè nunquam aliàs legitimo Domino Principíq; ſuo reſtituendam: ea tamen recuperatio, ob aſſiduos armorum circumſtrepentium incurſus, diu firma ac durabilis eſſe non poterat, niſi Divus Tutelaris noſter potentiori ope ac patrocinio fluctuantem urbis & Epiſcopatûs fortunam ab interitu vindicâſſet. Movebat ille Cathedralium Canonicorum Paderbornenſium animos, ut in his periculis ad flagitanda Epiſcopi & Capituli Cenomanenſis auxilia, tanquam ad extremam anchoram, ſe converterent: horum verò, creberrimis literis imploratorum corda, ut vi antiquæ Fraternitatis & amicitiæ, anno 836 in translatione S. LIBORII inter utrumque Capitulum initæ, vacillantem Paderanæ Eccleſiæ cauſam ſuſciperent; eidémq; tandem à Chriſtianiſſimo Rege ſuo, contra omnes Haſſorum & Succorum terriculationes, Regii

patrocinii tutelare Diploma procurarent. Quæ autem commoda & utilitates, exulceratiſſimis illis temporibus, ex inſperato hoc Diplomate in Eccleſiam & Epiſcopatum Paderanum promanaverint; juvat hîc dilucidiùs videre ex literis gratiarum actoriis, à Paderbornenſi Capitulo ea de re ad Capitulum Cenomanenſe (*b*) datis, quarum præcipuam ac ferè nobiliorem partem adjungimus.

VII. *Accepimus fraterni affectûs, imò Regii favoris teſtes, Dominationum veſtrarum literas. Et quis ſperare potuit poſt tot Sacula tam optatum & copioſum fœderis noſtri proventum? Sanctus nempe LIBORIUS noſter, veluti pretioſum frumenti granum olim in agro Paderbornenſi ſeminatum, ac tot afflictorum & innocentium lachrymis hactenùs rigatum, germinat etiamnunc fructum ſalutis. Is, poſtquam ſenſit in cœlis vota noſtra, excitavit corda veſtra ad ferendam opem periclitanti Eccleſiæ ſuæ. Præſtitiſtis id, Honoratiſſimi Fratres, præter omne meritum ſupra ſpem noſtram, inflectendo pientiſſimi Regis clementiam precibus, opponendo potentiam hoſtibus noſtris. Ita teſtatur Regii patrocinii tutelare Diploma, veſtrâ erga nos* chari-

(*b*) Ex lit. Archiv. Pad.

charitate, & in rebus agendis ſolertiâ, omnibus admirantibus obtentum. Exhibitum id nobis eſt optatiſſimo tempore, quando Svedici exercitûs formido, poſt reparatas ad Viſurgim vires, nihil tutum, nec in Patria, nec in Vrbe, nobis reliquerat. Tum ſubitò è cælo veſtro oritur nobis lux nova, Chriſtianiſſimi Regis pietas antiqua, & miſeris ſuccurrere aſſueta &c. - - -
Quod reliquum eſt, honoratiſſimi & deſideratiſſimi Fratres in Chriſto, veſtri beneficii dignũ pretiũ cùm deſit in terris, rogamus Patrem miſericordiarum, ut ſit is veſtra merces magna nimis. Pergite diligere fraternam Eccleſiam veſtram opere & veritate, ſicut hactenus; & nos ad omne obſequium obligatos habete. Si fortè tardiùs hæ ſubmitti videantur, cauſa eſt, quòd nobis, ab invicem nuper divulſis, ob itinerum pericula convenire citiùs non licuerit. Dabantur Paderbornæ, die XXV. Martii, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo.

VIII. Paucis quidem diebus ante concluſam pacem Weſtphalicam, Haſſi iterum adducto repentino exercitu Paderbornam tentavêre, eam à die 5ta Octobris anno 1648 uſque ad decimam octavam ejuſdem menſis, frequenti pyrobolorum igniúmq;

 miſſi-

miſſilium injectione territantes. At benigniſſimus Deus urbem hanc ſingulari beneficio contra hoſtes protegebat, partim ob aſſiduas incolarum preces, quæ in omnibus templis coram expoſito Venerabili Sacramento horariis alternationibus fundebantur; partim ob ſalutare patrocinium S. LIBORII famuli ſui, cujus honori & cultui tota civitas abjectâ fide Lutheranâ iterum ſe devoverat. Omnes pyroboli manuales aberrabant ſinè ulla hominis cujuſquam noxa: majores globi igniarii vel eventu caſſo decidebant; vel in aëre diſſiliebant priùs, quàm in urbem ruerent: ſolùm tres ædes nonnihil detrimenti accipiebant, ac duo horrea frumento plena in flammas abiêre; ſed abſque ulteriore aliarum domuum nocumento. Creſcebant interea civibus obſeſſis animi, diffluebant grandes Haſſorum ſpes, advolabat in auxilium urbis Guilielmus Lamboyus copiarum Weſtphalicarum Ductor, ſolvebatur in ejus adventu hoſtilis impugnatio: nec multò pòſt, nimirum die 24 Octobris, famoſa pax Weſtphalica, vi cujus Paderana Diœceſis Epiſcoporum ſuorum dominatui relicta fuit, Mona-

naſte-

naſterii concluſa, ſubſcripta, & conſignata eſt. Benedictus Deus, qui liberavit nos in tempore malo! Huic nos oportet pro tanto beneficio gratias æternas agere, & cum laude ipſius dicere, quod eo tempore dictum eſt à devoto quodam Societatis JESU (*i*) Preſbytero: *Lamboyus venit, Deus liberavit*!

(*i*) *Hiſt. Colleg. Pad.*

CAPUT II.

De propagatione LIBORIani cultûs per Italiam, plurimiſq; beneficiis, LIBORIano patrocinio ibidem impetratis.

I. Stupenda res! Halberſtadius, Padernam occupans, Lutherano ſpiritu quærebat cultum S. LIBORII ſupprimere: contrà verò Deus ab eo tempore cultum hujus Sancti admirandâ providentiâ propè in omnem terrarum orbem diffundi ac propagari fecit. Innumera ſunt hujus rei teſtimonia ex diverſis Europæ partibus. Incipiamus ab Italia, ejuſdémq; urbe Ameria, ad quam anno 1647 duas Oſſium LIBO-

RIanorum particulas perveniſſe diximus. Multæ curationes prodigioſæ contigerant ibidem paulò antè, per devotam recitationem Antiphonæ & Orationis conſuetæ de S. LIBORIO: ſed longè plures ab adventu optatiſſimo prædictorum Oſsium. Primus omnium id expertus eſt Romulus Cerichellus, Centurio Amerinus, vir & genere clarus, & honore præſtans. Hic ab octo annis tam gravi & aſsiduo veſicæ morbo conflictatus erat, ut poſtremo quadriennio nunquam niſi ardente intrà cubiculum lucernâ ſomnum de nocte ceperit. Urina ſæpè cruenta, fœda ſemper, adeóq; mordens erat, ut expellere eam nequiret, quin toto corpore ſudor emanaret. Nulla cibi erat appetentia, virium quoque imbecillitas maxima; neque hæc ſatìs relevari per quietem poterat, cùm & hanc identidem excuteret urinæ ciendæ cupiditas ac difficultas. In hoc igitur tam grandi malo tandem confûgit ad invocandam opem S. LIBORII: eadémq; horâ, quâ ſacræ ipſius Reliquiæ ſolenni ſupplicatione in Cathedralem Amerinæ urbis *(a)* Eccleſiam deportatæ ſunt, medelam adeò ſalutarem ac prodigioſam de

(a) Cuper. in Analect.

de cœlis hauſit, ut ex illa die omnis præteritorum dolorum ſenſus evanuerit. Juvat hujus facti evidentiam percipere ex epiſtola, quam idem *Cerichellus* anno 1648 die 25 Aprilis ex urbe Ameria ſcripſit ad Abbatem Peregrinum Carlenum, veterem amicum ſuum, & prædictarum Reliquiarum procuratorem. *Dum his diſcrucior doloribus*, inquit inter alia, *allatus Ameriam eſt cæleſtis ille theſaurus, abs te ad Patriæ noſtræ ſalutem peregrè obtentus*, nimirùm *S. LIBORII venerabiles Reliquiæ. Has mihi admovit Epiſcopus noſter: & pii quidam homines pro mea incolumitate preces ac vota concepêre. Poſt ſolennem ſupplicationem, ſuperiore Majo inſtitutam, quâ Reliquiæ ſacræ translatæ ſunt (quando S. LIBORII opem, quanto potui, ſenſu pietatis imploravi) nihil ad hanc uſque diem priſtini doloris expertus ſum; ac modo percommoda utor valetudine. Ob quam immenſas Deo, ſanctóq; ejus Confeſſori LIBORIO. laudes debeo; tibiq; grates Illuſtriſſime Domine, cujus ſtudio hunc adepti theſaurum ſumus.*

II. Multa id genus alia recenſet P. Guilielmus Cuperus, è Societate Jesu Hagiographus Antwerpienſis, qui ea ex manu-

ſcriptis Italicis latinè reddidit. In horum ſerie, ſi in compendium redigantur, invenio tres, qui per invocationem S. LIBORII à duplici grandíq; hernia; viginti autem & ampliùs, qui ab acutiſsimis calculi doloribus paucorum annorum ſpatio prodigioſè liberati ſunt. Imò, quod ad calculum attinet, lucidiſsimè teſtatur Hieronymus Lampanus urbis Amerinæ Medicus, malum hoc ante adventum Reliquiarum S.LIBORII ibidem ita ſæviiſſe, ut perpauci eſſent, qui non interdum ejus tormina & cruciatum perſentiſcerent: illis autem in urbem adductis, malum hoc à biennio penitùs auffugiſſe, eò quòd omnes, cùm primùm aliqua iſtius morbi præludia ſentiunt, ad S. LIBORII opem confugiant, & ab eodem illico ſe adjuvari gaudeant. Supereſt hac de re authenticum prædicti Medici teſtimonium, quod manu propria conſcripſit, & clauſit hiſce verbis: *Ut omnes (b) SSmi. Pontificis LIBORII in cœlis merita cognoſcant, & indigentes levamen petendo etiam ſibi comparent, hanc pagellam, ut vera me aſſerere ſciant, publico jurejurando libens, lubens, & gaudens confirmavi, mea manu ſcripſi & ſub-* *ſcripſi,*

(b) *Cuper. in Anal. §. 7.*

ſcripſi, ac meo ſolito ſigillo obſignavi. Ameriæ quinto Idus Decembris, anno MDCXLIX.

Ego Hieronymus Lampanus, Theologus, Philoſophus, & Medicus, manu propria.

III. Ab urbe Ameria, in Dominio Papali ſitâ, Divi noſtri Tutelaris honor & veneratio brevì Romam ſe diffudit per Dominicum Buoncompagnum Romanũ. Jam dudum hic acerrimis calculi doloribus vexatus erat: &, quia nulla Medicorum auxilia lenimen aliquod attulêre, tandem anno 1648 eadem ægritudine ſic oppreſſus fuit, ut omnino de ſalute ejus deſperaretur. In his periculis, cùm ſuas miſerias amicis ac familiaribus exponeret, ſuadebat ei D. Valentinus Pelegrini, urbis Amerinæ filius, ut imploraret opem S. LIBORII, cujus Reliquiæ anno ſuperiore à Patribus Capucinis Ameriam perlatæ fuerant: ſimúlq; imaginem ſancti illius Præſulis, cum Antiphona & Oratione conſueta, ægrotanti dedit, ut ejuſdẽ interceſsioni ac patrocinio ſe commendaret. Buoncompagnus hoc amici conſilium ſinè mora ſecutus eſt; addiditq; votum, ſingulis annis, quoad viveret, cele-

brandi Feſtum S. LIBORII in quadam urbis Romanæ Eccleſiâ. Quo peracto, protinus tam exoptatum pertinacis morbi lenimen ſenſit, ut eodem anno in Eccleſia Collegiata Ss. Celſi & Juliani magnam Sancti noſtri effigiem collocari juſſerit; ibidémq; die 23 Julii, anniverſariam S. LIBORII feſtivitatem celebraverit, diſtributis etiam compluribus ejuſdem imaginibus, unà cum vetere Antiphona & Oratione.

IV. Multi Romanorum, videntes Buoncompagnum tam inveterato graviſſimóq; malo prodigioſè liberatum, continuò ſequebantur ejus exemplum, invocabant auxilium S. LIBORII, appendebant parva munuſcula ad ipſius effigiem in Eccleſia ſuprà dicta, magnúmq; pariter ſolatium in ſuis morbis ac doloribus experti ſunt. Inde verò cultus & exiſtimatio ſancti Patroni noſtri intrà paucas hebdomadas Romæ tantum accepit incrementum, ut Eminentiſſimus Cardinalis Petrus Aloyſius Caraffa, quondam Coloniæ Nuntius Apoſtolicus, hac Romanorum devotione motus, eodem anno 1648 ad Ferdinandum Electorem Colonienſem iteratò ſcripſerit; & ab

ab eo velut Paderbornenſi Epiſcopo inſtantiſſimè flagitaverit, ſibi aliquam LIBORIani Corporis particulam, pro ſuprà dictâ Ss. Celſi & Juliani Eccleſiâ, ad ſingularem populi Romani conſolationem dari. Annuebat hujusmodi poſtulatis Ferdinandus Elector: nec multò pòſt etiam Cathedralis Eccleſiæ Paderanæ Canonici, anno 1649 in generali Capitulo, iiſdem precibus aſſenſum præbuêre. Sed quia argentea S. LIBORII Lipſanotheca propter antecedentium bellorum pericula tunc adhuc ſervabatur Monaſterii; nec inde priùs, quàm ſequenti anno 1650, die decima nona Octobris, Paderbornam reducta fuit (quo tempore Ferdinandus Elector jam ante menſem è vivis emigraverat) iſtius conſenſûs executio protelari debuit úſque ad electionem & confirmationem novi Antiſtitis, Theodori Adolphi de Reck: qui anno 1650 die tertia Novembris Paderbornæ electus; & ſequenti anno 1651, die octava Maji, ab Innocentio X. Romano Pontifice confirmatus eſt.

V. Hic eodem anno bonam partem Oſſis, à quibuſdam Cathedralis Eccleſiæ Cano-

Canonicis ex Liboriana Lipſanotheca nuper extractam, Paderbornæ die decima Auguſti variegatæ pyxidi impoſuit; eámq; probè firmatam & obſignatam, D. Joanni Wilhelmo Warneſio Paderano, Artium liberalium & Philoſophiæ Magiſtro, tunc temporis Romam profecturo, in manus tradidit, cum hac intùs incluſa (c) ſchedula: *In nomine Domini, Amen. Hæ ſunt veræ Reliquiæ S. LIBORII Epiſcopi Cenomanenſis, Paderbornenſium Patroni, quas Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Princeps* (Theodorus Adolphus) *præſentibus Cathedralis Eccleſiæ Prælatis, anno MDCLI, die X menſis Auguſti, in Cancellaria tradidit Joanni Guilielmo Warneſio, Romam transferendas, & Eminentiſſimo S. R. E. Cardinali Petro Aloyſio Caraffæ tradendas* Lætus hoc munere Cardinalis, die 29 Septembris particulam aliquam ex Officulo ſibi miſſo defregit, retinuítq; pro ſe ad venerationem domeſticam & privatam: cæteram verò ac potiorem Officuli iſtius partem pro cultu publico donavit Capitulo & Canonicis Collegiatæ Eccleſiæ Ss. Celſi & Juliani. A quibus poſtmodùm hæc particula magnis honoribus in Eccleſiam ſuam introducta, &

(c) *Apud Cuper. in Anal.*

altari

altari, ad honorem S. LIBORII conſtructo, pientiſſimè impoſita eſt, non ſinè maximo totius urbis & omnium afflictorum ſolatio.

VI. Interea Romæ Patrum purpuratorum Collegio adſcriptus erat Fabius Chiſius Epiſcopus Neritonenſis, antea Coloniæ Nuntius, & Monaſterii in tractatu pacis Weſtphalicæ Legatus Apoſtolicus. Is, cùm frequenter laboraret calculo, videretq; LIBORIanas Reliquias Romæ tantâ cœleſtium beneficiorum gloriâ celebrari; ſtatuit & ipſe ad honorem ſancti Patroni noſtri novum Romæ Sacellum condere, & pro eo parvam ſacrorum Oſſium particulam ex Lipſanotheca LIBORIANA petere. Literæ, quas hac de re Paderbornam ſcripſit, anno 1654 die tertia Februarii *(d)* in generali Capitulo prælectæ ſunt: iiſq; multùm ponderis ad hoc impetrandum & peturgendũ addidit, quòd idem Fabius Chiſius jam pridem antea Monaſterii, tempore tractatæ pacis Weſtphalicæ, cum præcipuis Paderanæ Eccleſiæ Primoribus, ac præſertim cum novo Epiſcopo Theodoro Adolpho, tunc adhuc Majoris Eccleſiæ Præpoſito, perſæ-

pe

(d) Ex Archivo Cathedr. Eccl.

pe ac familiariter verſatus eſſet. At quia ſub idem ferè tempus complures alii Magnates ac Principes Liborianorum Oſſium particulas expetiverant; neceſſe fuit, longiores captare moras, & iſtius petitionis conſenſum rejicere in annum proximè conſequentem, quo prædictus Cardinalis, unanimi cæterorum Patrum Purpuratorum ſuffragio, ad Supremam in terris Cathedram evectus eſt ſub aſſumpto nomine Alexandri ſeptimi. Tum verò ſubitanea rerum temporúmq; mutatio poſtulabat, in concedenda ejus petitione moram omnē ac procraſtinationem diuturniorem abjici. Quare, cùm primùm novæ hujus electionis nuntius in Weſtphaliam advolavit; bona Oſſium Liborianorum particula ex ejuſdem Beati Sarcophago extracta, proximóq; autumno *(e)* cum adjunctis gratulationum officiis Romam tranſmiſſa eſt, per Reverendiſſimum ac Perilluſtrem D. Wilhelmum L. Baronem de Fürſtenberg, Cathedralium Eccleſiarū Paderbornenſis & Monaſterienſis Canonicum, qui à novo Ponti-

fice

(*e*) *Literæ Archivi Pad. - Alpen in vita Chriſtoph. Bernardi Epiſc. Monaſt. l. 3. pag. 275.*

fice invitatus, hac anni tempeſtate in Italiam feſtinabat. Hodie particula iſta religiosè aſſervatur in Sacello Aulico Principum Chiſiorum, in quo etiamnunc S. Liborii feſtum non modicâ vicinorum omnium celebritate Romæ quot annis colitur.

VII. Poſt hæc Illuſtriſſimum Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Paderbornenſis, volente & approbante Epiſcopo ſuo Ferdinando Fürſtenbergio, diverſis Italiæ civitatibus adhuc alias tres particulas urgentiſſimis de cauſis elargiri debuit. Primam ex illis tribus anno 1662 pro natalitia urbe ſua *Piſtoriâ* (vulgo *Piſtoia*) ardentiſſimè petiit & impetravit *(f)* Eminentiſſimus Cardinalis Julius Roſpiglioſi, qui præcedente anno die ſexta Junii, Romæ in Eccleſia *B. MARIÆ de anima*, prædictum Ferdinandum Fürſtenbergium Paderanæ Eccleſiæ Epiſcopum ſolenni ritu conſecraverat; ac deinde poſt mortem Alexandri VII, qui tunc Romanæ Eccleſiæ præerat, Papalem Cathedram conſcendit ſub aſſumpto nomine Clementis noni. Alteram particulam anno 1679 pro urbe Genuenſi adeptus eſt Illuſtriſ-

(f) Litera in Archivo Cathed. Eccl. Paderb.

Illuſtriſſimus Comes (*g*) Joannes Michaël Caſoni, qui pretioſum hunc & mille votis expetitum Theſaurum cum ſingulari pompa & apparatu ibidem repoſuit in inſigni Eccleſia Collegiata *B. Mariæ de Vineis*, ubi hodiedum adhuc magnis honoribus colitur. Tertiam eodem anno pro urbe Neapolitana diuturnis precibus exoravit(*h*) Illuſtriſſimus D. Franciſcus Bonviſius, Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis & Nuntius Apoſtolicus Viennæ, paulò pòſt Eminentiſſimo Patrum Purpuratorum Collegio adſcriptus; qui ſacrum illud Officulum Neapoli in Eccleſia S. Caroli, apud Sacerdotes Religioſos Congregationis Regularis S. Pauli, ad comunem totius populi venerationem ſolenniſſimè expoſuit. Nulla verò urbium iſtarum fuit, quæ non illico Thaumaturgam Divi noſtri virtutem ſenſerit: nulla, in qua non plurimi ejus patrocinio à variis morbis, ac præſertim à doloribus nephriticis, feliciſsimè convaluerint; quemadmodum de urbe Neapolitana ſigillatim atteſtatus eſt Joannes Matthæus Paravicinus, prædi-

ctæ

(*g*) *Overham in Notis ad vitam B. Meinvverci pag. 342.* (*h*) *Overham ibid. pag. 341. & ſeq.*

ctæ Eccleſiæ S. Caroli Præpoſitus, in literis humaniſsimis, anno 1681 die viceſimâ ſextâ Januarii, ea de re ad Ferdinandum Epiſcopum Paderbornenſem & Monaſterienſem datis.

VIII. Sunt & alia complura Italiæ loca, quæ Divum noſtrum propter frequentem ipſius opem ſingulari affectu & veneratione complectuntur: puta, Venetiæ, Mediolanum, Foſſa Clodia (vulgò *Chioggia ſeu Chiozza*) aliæq; urbes non paucæ, nec parvi nominis. An autem & aliquam Reliquiarum noſtrarum partem hæ urbes habeant, vehementer ambigo. Illud certum eſt ex Archivo Cathedralis Eccleſiæ noſtræ, quòd initio moderni Sæculi, nimirum anno milleſimo ſeptingenteſimo quarto, Hermannus Wernerus quondam Epiſcopus Paderbornenſis non modicam LIBORIani Corporis particulam Clementi XI. Pontifici miſerit, latore Domino Theodoro Holter, Collegiatæ Eccleſiæ Buſtorffienſis Decano, & cauſarum Eccleſiaſticarum Judice. Quàm verò charum ſuprà dicto Pontifici hoc munus fuerit, luculenter oſtendit paulò pòſt, quando non ſolùm *Romano* (ùt vo-

cant) *Breviario* commemorationem S. Li-borii per totam Eccleſiam apponi juſſit; verùm etiam Hermanno Wernero Paderbornenſi Epiſcopo ſingulares pro tam inſigni donario gratias reddidit humaniſſimis (*i*) hiſce literis:

Venerabilis Frater ſalutem &c Quam fraternitatis tuæ nomine dilectus Filius Decanus Holter ad nos detulit ex Reliquiis Beati Liborii olim Epiſcopi Cenomanenſis partem. Chryſtallinâ Thecâ, & quidem admodùm eleganti incluſam; eam præter modum gratam habuimus: cùm non tam ex diſertis ejuſdem Decani verbis; quàm ex muneris, quo nos dotâſti, raritate ac præſtantiâ intelligeremus, ineſſe tibi ſingulare deſiderium ac ſtudium demerendi charitatem noſtram. Quæ ſanè præclariùs conciliari non poterat, quàm ſacro hoc pignore: in quo propoſita nobis eſt ſancti illius Præſulis memoria, quem Nos quidem peculiari devotione colimus; ſed & communi propè voto fidelium pietas, multis aſſiduiſq; beneficiis excitata, veneratur &c. Datum Romæ - - - die tertia Martii, Anno 1704, Pontificatûs noſtri anno quarto.

(*i*) *Vide eas in Libro Epiſtolar. Clementis XI. pag.* 203.

CA-

CAPUT III.

De propagatione cultûs LIBORIani in plures alias Regiones, déq; plurimis beneficiis ibidem cœlitus impetratis.

I. Ex Italia calamum ſtylúmq; retraho in Regnum Franciæ: & primò in urbem Cenomanenſem, illam utique præclaram, & apud nos æternis memoriæ tabulis inſcriptam urbem, cujus beneficio Paderborna tam egregium præluſtrémq; theſaurum poſſidet. Certè S. LIBORIUM, priuſquam è ſepulchro moveretur, ibi quondam in magno cultu & ſacris Divorum honoribus fuiſſe, luculenter evincunt innumerabilia, ibidem antè ad ipſius tumulum impetrata è cœlis beneficia, de quibus egimus in vita ejus parte 1. cap. 3. in fine. Pòſt, ubi jam pridem ſancti hujus Antiſtitis Exuviæ à *Sarta* (*a*) ad Paderam translatæ fuerant, Illuſtriſſimum Paderbornenſe Capitulum anno 1205 apud Eccleſiæ Cenomanenſis

I 2

(*a*) *Sarta, fluvius urbis Cenomanenſis.*

nenſis Canonicos vi antiquæ ſuæ Confraternitatis urſit evicitq; , ut & ipſi pariter ſingulis annis *(b)* Magni hujus Patroni feſtum ſolenni cantu & cultu illuſtrare conſtituerint : eâ tamen appoſitâ lege ſeu conditione reciprocâ, ut viciſſim Paderbornæ die viceſima ſeptima Januarii (quemadmodum adhuc fit) S. Juliani, primi Cenomanenſium Antiſtitis & Apoſtoli feſtum pari cultu & ſolemnitate celebretur. Cùm autem poſtea laudabilis iſta Cenomanenſium conſuetudo, vel annorum intercedentium longitudine, vel potiùs diuturna ſævientium Hugonottorum perturbatione, nonnihil imminui aut refrigeſcere incepiſſet; rurſus anno præcedentis Sæculi ſexageſimo 2do Liboriana hæc devotio ibidem renovata aut reſtituta eſt à R mo Domino Govault, Cathedralis Eccleſiæ Cenomanenſis Canonico, antè per interceſſionem S. LIBORII præter omnem Medicorum ſpem è periculoſa ægritudine feliciter conſanato. Is enim, ut magno huic Soſpitatori ſuo repentè gratum & beneficii accepti memorem ſe exhiberet, Cenomanis in æde ſumma

(b) Ex literis Archivi Cathedr. Eccl. Paderb.

ſumma non modò novum Altare *(c)* ad honorem ipſius condidit; verùm etiam perpetua fundatione anniverſariam ejus feſtivitatem ità ſtabilivit, ut hæc in poſterum ſemper die 23 Julii *ſub ritu ac ſolemnitate duplici* ibidem celebrari debeat. Quo fine pariter ab Illuſtriſſimo ad Paderam Capitulo *Lectiones* omnes, aliáſq; Liborianarum ſolemnitatum rationes & conſuetudines, quæ in Eccleſia noſtra obſervari ſolent, ſibi ſedulò deſcribi ac tranſmitti voluit.

II. Imò boni iſtius Domini fervor, quo ad propagandum S. LIBORII cultum anhelabat, adeò incenſus erat ac tantæ amplitudinis, ut intrà unius urbis & Eccleſiæ Cenomanenſis anguſtias nullatenus contineri vel includi potuerit; ſed inde adhuc longiùs per immenſa terrarum ſpatia ſe diffuderit Lugdunum uſque, urbem ejus natalitiam, & unam è præcipuis florentiſſimiſq; totius Franciæ. Nam & iſtic anno 1665 ad honorem hujus magni Soſpitatoris ac Patroni ſui novum Altare in inſigni quadam Eccleſia fabricari juſſit; ſimúlq; ab Illuſtriſſimo Capitulo noſtro pro eadem ara parvam ali-

(c) *Ex literis D. Govault in Archivo Paderb.*

quam LIBORIANI Corporis particulam ardentiſſimè expetiit, inter cæteros literarum (*d*) ſuarum floſculos ita ſuſpirans cum ſacra ſponſa : *Surgam igitur, & circuibo civitatem Paderbornenſem : per vicos & plateas quaram , quem diligit anima mea. Invenerunt me chariſſimi Confratres, qui illuſtrant civitatem,* Cathedralis Eccleſiæ Canonici. *Num, quem diligit anima mea , habetis ? Date illum mihi ! Tenebo, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ , & in ſacrarium genitricis meæ, urbis Lugdunenſis - - - - Nec molem aut quantitatem attendo ; ſed, quantulumcunque mittere placebit , abundè ſufficiet. Quin etiam particulas, ſi vel exiguas invenero, mihi reſervabo : quas mecum ſuper cor meum, ad avertendam & averruncandam omnem nequitiam , ſummo zelo ac religione diu noctúq; inſeparabiliter deportabo.* Licèt autem incenſiſsimæ huic petitioni obſecundari tunc non potuerit ob frequentiam diverſorum Principum ac Magnatum , qui ſacrorum hujuſmodi Lipſanorum partem, vel jam acceperant, vel adhuc avidè & ardenter ſollicitabant : nihilominus tantùm abfuit, ut idcir-

(*d*) *Litera in Archivo Cathedr. Eccl.*

idcirco ab incepto ejuſdem Altaris ædificio manum retraheret; ut etiam quàm pluri-mis imaginibus ex ære inſculpto cuſis, magni hujus Thaumaturgi gloriam & venerationem pro ſuis viribus per totam urbem Lugdunenſem promovere pergeret. Sic enim ſcribit ipſemet in ſuis (e) literis, die 21 Aprilis anno 1665 Lugduni datis: *Hæc famoſa, & inhabitantium multitudine inſignis civitas, ſic diſponente Deo (qui infirma mundi eligit, ut virtus Altiſſimi ampliùs manifeſtetur) meâ quantulacunque operâ in cognitionem ſuperexcellentium Beatiſſimi LIBORII meritorum venit. Cujus vulgatam nunc venerabilem imaginem ad manus omnium cognoſcere eſt; ſimul ac precationes, quæ in ore omnium fidelium verſantur: qualia ex ære cudenda & ad vos hinc tranſmittenda curavi. - - - Jam ſedula operariorum manus Altaris fundamenta poſuit, &c.*

III. In Belgio Catholico S. LIBORII cultus & invocatio mirificè propagata ſunt per eam Reliquiarum noſtrarum partem; quam ſæpèdicta Princeps & Rhingravia, *Chriſtina de Croy*, anno 1623 (cùm ejuſdem

I 4 Sancti

(e) *Literæ in Archiv. Cath. Eccl.*

Sancti Exuvias, ab Halberſtadio ſacrilegè abductas, Mariæ-Forſtum remitteret) pro ſe ſuiſq; retinuerat. Hæc enim pars, aut vivente *Chriſtinâ*, aut certè poſt pientiſſimum ejus obitum, in plures alias particulas diviſa eſt, quæ deinde à variis in Belgio Dominis expetitæ, & in præcipuis quibuſdam urbibus ad ſalutarem cultum deductæ ſunt. Unam illarum ab Arnoldo Wolffgango, Comite de *Huyn & Amſtenraed*, ſingularis beneficii loco impetravit (*f*) Prænobilis D. Philippus *Van den Wouvvere*, Bruxellenſis urbis Scabinus: qui eam anno 1671 religioſâ munificentiâ in eadem urbe ad S. Laurentii Sacellum transtulit; atque ibidem, conſentiente Mechlinienſi Archiepiſcopo, venerationi publicæ exponi fecit. Aliam ſacrorum hujuſmodi Oſsium particulam (*g*) conſecutus eſt Prænobilis Dominus Franciſcus Paulinus de Brouckhoven, Senator urbis Antwerpienſis: qui, ut S. LIBORII cultum, jam apud Bruxellenſes promoveri cœptum, Antwerpienſi in urbe ſtabiliret; pari devotione ac beneficen-

(*f*) *Cuper. in Analectis de S. Liborio §. 5.*
(*g*) *Cuper. ibid. §. 6.*

ficentia particulam illam donavit ac tradidit celeberrimo Sacello B. MARIÆ Virginis in platea Cæſarea. Utraque hæc ampla ac famoſa civitas ab eo tempore S. LIBORIUM ſingulari pietatis affectu coluit. In utraque ad amplificandum ejus honorẽ & invocationem ſanctiſsimè inſtituta eſt nova Sodalium devotorum Congregatio ſeu Confraternitas : quarum illa (Bruxellis) anno 1671 à Clemente X. Summo Pontifice ; hæc verò (Antwerpiæ) anno 1711 à Clemente XI. multis magníſq; Indulgentiis donata & illuſtrata eſt, utì videri poteſt apud Cuperum in Analectis de S. LIBORIO § 5. & 6.

IV. In Auſtria quoque, & aliis ditionibus hæreditariis Domûs Auſtriacæ, LIBORIana hæc devotio jam inde à ſuperiori Sæculo non parùm viget : videtúrq; hæc eò terrarum promanâſſe à prodigioſa planéq; admirabili curatione Dñi *Ludovici Perletti*, quæ apud Cuperum (*b*) in Analectis antea citatis legitur. Dudum ille ex aſsiduis renum & calculi doloribus decubuerat in ſu-

(*b*) *Cuper. in Analect. de S. Liborio §. 7. n. 70. in fine.*

periore Auſtria. Jámq; ita invaluerat pertinaciſsimi iſtius morbi malíq; vis,ut deſperatis Medicorum auxiliis, *Perletti* vita ad extremos propè anhelitus deducta videretur. Jacentem in his angoribus inviſebat commodùm P. Bonaventura, ex Ordine Capucinorum S. Franciſci; intérq; alia ſolatia ſacra, quæ ad roborandam animi virtutem conferunt, recitandum ei dabat veterem Hymnum & Orationem de S. LIBORIO,tanquam ſingulari omnium hoc morbo laborantium Patrono. Acceptabat hæc æger cum ingenti ad orandum promptitudine; & ardorem pietatis inter hujuſmodi preces intendebat levaminis impetrandi fiducia. Sequenti nocte,poſt horam duodecimam, videbatur ſibi in ſomnis admoneri,ut in honorem S. LIBORII orationem Dominicam & Salutationem Angelicam diceret. Huic igitur inſpirationi,vel ſaltem perſuaſioni piæ, confeſtim obſequitur, utramque precationem devotè recitat, paulò pòſt in placidum ſoporem labitur, altero manè bene ſanus de ſomno expergiſcitur, Deo gratias agit, ſimúlq; ad honorem S. LIBORII Soſpitatoris & Patroni ſui

Sacri-

Sacrificium votivum celebrari curat. Ob hanc clerem totâq; viciniâ divulgatam ſanationem (quæ circa annum Sæculi præcedentis quinquageſimum 3tium aut 2dum contigit) antiqua iſta Oratio de S. Liborio latinè & germanicè ibidem recuſa; ac deinde per utramque Auſtriam, Bohemiam, Sileſiam, & Moraviam latiſſimè diſperſa eſt, cum incredibili plurimorum hominum, his aliíſq; malis conflictantium, utilitate.

V. Aquas Paderæ in parvam ſcrobem infundere & congregare niterer, ſi hîc omnium iſtorum nomina recenſere vellem, qui ab eo tempore in prædictis regionibus, ope S. LIBORII, à variis infirmitatibus & vitæ periculis convaluêre. Satìs ego meum Patrii Scriptoris officium explevero, ſi adducam eos, qui ex argenteis anathematis, ad nos inde ex voto miſſis, clariorem ſuî notitiam nobis reliquerunt. Horum verò primus eſt, qui & gloriâ & Majeſtate cæteros antecelluit, Auguſtiſſimus & invictiſſimus Romanorum Imperator Ferdinandus III. Nam & is, cùm in Comitiis Ratisbonenſibus anno 1654 immodicis arenarum & cal-

& calculi doloribus premeretur, cum ingenti fiducia ad opem S. LIBORII ſe convertit, virtutem ejus Thaumaturgam imploravit, & repentè ſe ejuſdem patrocinio ab intolerandis hujuſmodi cruciatibus feliciſſimè liberatum ſenſit. Id quod ipſemet luculenter atteſtatus eſt egregio munificóq; dono Lampadis argenteæ, quam obſervantiæ exhibendæ cauſâ Soſpitatori ſuo ſtatuit, & ſequenti anno Paderbornam afferri juſſit, cum inſculptis Cæſareis inſignibus, & hâc à duobus aliis lateribus bifariam diviſâ epigraphe: *Anathema Ferdinandi III. Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, ob præſentem S. LIBORII Ratisbonæ in calculi doloribus opem anno 1654 - - - ab eodem Auguſtiſſimo Imperatore ad Reliquias S. LIBORII miſſum Paderbornam anno 1655.* Occaſione hujus argentei muneris prædictus Imperator petebat ſimul aliquam (*i*) Reliquiarum LIBORIanarum particulam: quæ & ipſi continuò miſſa eſt, & adhuc in Sacello Vienneſis Palatii religioſiſsimè cuſtoditur. Nec multò pòſt (ùt ego quidem opinor: annus enim adſcriptus non eſt) etiam alius quidam

(*i*) *Ex literis Archivi Cathedr. Eccl. Paderb.*

dam Perilluſtris Vir in Regno Bohemiæ, cui nomen Joannes Franciſcus Pütz, auxiliatricem & ſalutiferam S. LIBORII manũ in ſe ſuiſq; , cùm acerbè à calculo torquerentur, expertus eſt. Atque ideo, ut cœleſti huic Medico gratiam referret, tabellam argenteam (*k*) cum duabus lapidum figuris, ex eodem argento cuſis, ad Sacrariũ Paderbornenſe miſit, cum hac inſcriptione: S. LIBORIO, *ſuo ſuorúmq; à calculi doloribus Soſpitatori, gratus poſuit dicavitq; Perilluſtris & Generoſus Dominus, Joannes Franciſcus Pütz, Eques de Turraquila, Dominus in* (*l*) *Nimes, & Sacræ Cæſareæ Majeſtatis actualis Cameræ Conſiliarius & Aſſeſſor in Regno Bohemiæ.*

VI. At nuſpiam in prædictis Regionibus, Domui Auſtriacæ Subditis, Liboriana pietas florem illuſtriorem obtinet, quàm in Marchionatu Moraviæ. Primum hujus celeberrimæ devotionis fundamentum poſuit Perilluſtris Domina, *Suſanna Catharina Liboria Baroniſſa de Zaſtrizl &c.* magna S. LIBORII Cultrix, non ſolùm quòd ab eo nomen

(*k*) *Tabula hæc eſt in Sacrario Cathedr. Eccl.*
(*l*) *Nimes, Oppidum Bohemiæ.*

nomen gereret ; ſed etiam ac multò maximè, quòd ab eo bis in acerrimis doloribus optatiſſimum ſubitúmq; levamen indepta eſſet. Hæc anno 1671 die decima nona Aprilis, graviſſimis & nunquam antè perſenſis doloribus, in dorſo, in lumbis, ac præcipuè in ſiniſtro pede, tam repentè & acriter impetita fuit, ut neque pedem illum incurvare, neque eundem extendere aut commovere poſſet. Inde triſtis & animo conſternata, cum ingenti fiducia (*m*) convertebat ſeſe ad S. LIBORIUM, cujus medicinalẽ virtutẽ jam à longo tempore, tum ex aliorũ ore, tum ex evulgatis ejusdẽ imaginibus & orationibus adjunctis nôrat. Hunc ergò devotè invocat, ad hujus honorem tota die jejunat, huic certò promittit fore, ut poſtridie manè, ſi per ejus auxilium ſana conſurgeret, in gratiarum actionem ſacra exomologeſi animum à peccatis expiet, Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento mentem reficiat, ſelectas quaſdam precatiunculas ad laudem ejus decurrat, ac demum etiam tria Miſſarum Sacrificia ad eandem animi intentionem offerri curet. Paulò pòſt ægro-

(*m*) *Libellus de S. Liborio impreſſus Olomucii.*

ægrotanti obrepebat placidior ſomnus; eóq; finito, ſentiebat ipſamet cum ingenti gaudio, ſe habere meliùs, pedémq; malè affectum à ſe rurſus protendi & inflecti poſſe. Circa veſperum cœpit iterum valetudo ejus adhuc pluſculùm confirmari, ſequebatur optata per noctem quies, diffugiebat per ſomnum dolor: ſurgebat manè ſana, quæ priùs ægrotaverat; exſequebatur omnia pietatis opera, quæ ſibi pridie propoſuerat; neque dein experta eſt quidquam ampliùs de cruciatibus, quibuſcum antea conflictata fuerat. Pari cum fiducia *(n)* ſequenti anno 1672, cùm iterum in una manu acutiſſimos dolores perſentiſceret, iterum illa ſe recepit ad opem fideliſſimi Patroni ſui S. LIBORII; firmitérq; ſtatuit, ejus honori præclarum aliquod Sacellum condere, ſi per ipſius patrocinium ad priorem vitæ ſanitatem redeat. Et ecce! rurſùs abſcedit omnis è manu dolor, voluntas Dominæ in pio propoſito ſtabilitur, Sacellum Liborianum prope ipſius arcem in pago *Jeſenetz* inchoatur, & ſequenti anno 1673, tam interiùs, quàm exteriùs, feſtinatis laboribus conſummatur. VII.

(n) Idem libellus.

VII. Hæc jam origo illius magnæ celeberrimæq; devotionis eſt, quâ hodie S. LIBORIUS *Jeſenetzii* in Marchionatu Moraviæ tanto hominum confluxu coli & invocari ſolet. Vix enim hæc ædicula ſacra conſuetis Eccleſiæ cæremoniis Divino cultui dedicata erat; cùm illico non pauci homines, exemplo pientiſſimæ Fundatricis, Dñæ Suſannæ Catharinæ Liboriæ de Zaſtrizl, ad eandem ædiculam devotè acceſſerunt. Et quia ùt plurimùm à S. LIBORIO in ſuis neceſſitatibus non parùm ſolatii ac levaminis referebant; etiam de die in diem creſcebat affluxus invocantis & ſupplicantis populi. Subinde poſt annos pauculos Innocentius XI. Romanus Pontifex, devoto fidelium accurſu motus, non ſolùm plenarias huic Sacello Indulgentias dedit in die feſto S. LIBORII; ſed etiam Sodalitatem aut Confraternitatem novam, ſub ejuſdem Sancti invocatione ibidem piè ac religiosè inſtitutam, compluribus indulgentiis aut pœnarum temporalium remiſſionibus impertivit. Quo Papali beneficio, ſimul crebra multitudo ſupplicantium, ſimul etiam cœleſtium gratiarum ac miraculorum fre-

frequentia, brevi tempore tantis aucta eſt incrementis, ut intrà undecim vel duodecim annos (*o*) ſexaginta & ampliùs homines numerati, ac nominatim in tabulas publicas relati ſint, qui S. LIBORII patrocinio ibidem à variis manuum, pedum, oculorum, pectorum, aliorúmq; membrorum languoribus, prodigiosè ac proſperè conſanati fuêre, utì videre eſt in duobus libellis, de hac pietate LIBORIana in *Jeſenetz* aō 1683 ac paulò pòſt Olomutii in lucem publicam evulgatis. Hodie offeruntur ibidem complura ſacra munuſcula, in ampliorem formam protenſa eſt Sacelli iſtius brevitas, deducuntur eò crebræ ac numeroſæ proceſſiones, res Divinæ cultúſq; ſacer probiſſimè comparata ſunt, fidelium pietas ac devotio eſt penè quotidiana, atque in feſto S. LIBORII tam inuſitato populi concurſu clara; ut eo die (*p*) ad quatuor aut quinque millia hominum, quos indulgentiarum prædictarum deſideria è locis admodum remotis evocant, ad menſam Euchariſticam adire ſoleant. Vicinum Obrowirzien-

K ſe Mo-

(*o*) *Ex eodem, & alio libello, Olomutii impreſſo.*
(*p*) *Ex literis, hoc anno acceptis è Moravia.*

ſe Monaſterium, cui Sacelli iſtius procurandi ſollicitudo commiſſa eſt, hodiedum oſtentat aliquam Liboriani Corporis particulam; gloriatúrq;, ſe eam poſterioribus annis accepiſſe ab Illuſtriſſimo Domino Comite de Wratislaw, quondam Epiſcopo Regino-Gradecienſi in Bohemia. Hæc particula, argenteæ hierothecæ incluſa, ibidem *(q)* in feſto S. LIBORII non ſolùm exponitur in Altari primario; ſed etiam populi devoti labiis ad oſculandum ac diſſuaviandum admoveri ſolet. Utrùm verò prædictus Comes eam immediatè obtinuerit à Paderanæ Eccleſiæ Capitulo; an autem ea ab alio quodam Liboriani Corporis oſſiculo, ad alios Magnates Paderbornâ miſſo, decerpta vel defracta fuerit (utì interdum contigit) non auſim pro certo dicere.

VIII. Nuperrimè adhuc aliam Reliquiarum noſtrarum particulam, in Moravia collocandam, ſuperiore anno 1735 Paderbornâ accepit Perilluſtris ac Generoſus D. Liber Baro ab Imbſen, Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris Caroli VI. Secretarius

(q) *Ex iiſdem Literis.*

rius intimus: qui ex Epiſcopatu noſtro oriundus, eandem ardentiſſimè expetierat pro novo Sacello Liboriano, à ſe Kunſtadii in Moravia ad honorem veteris Patroni ſui Diœceſani juxta Eccleſiam Parochialem condito. Hanc ille protinus *(r)* eleganti Statuæ ex argento cuſæ reverenter includi; ac dein die viceſimâ quartâ Auguſti (quâ mortalis vitæ lucem aſpicere cœperat) ſplendidiſſima ſupplicatione, cum ingenti multorum millium hominum confluxu, in Eccleſiam & Sacellum Kunſtadienſe deportari fecit: non ſinè maximo totius viciniæ commodo, & corporum afflictorum conſolatione. Nam, ut omittam alia de cœlis impetrata beneficia, quorum ſufficiens cognitio nondum ad nos perferri potuit: Rm̃us Dominus Norbertus Umlauff, Ordinis Præmonſtratenſis Abbas in Monaſterio Hradiſcano (vulgò *Hradiſch*) manu propriâ confitetur, quòd, cùm in ſupplicatione ſuprà dictâ *(ſ)* S. LIBORII Reliquias in Sacellum Kunſtadienſe intuliſſet; non multò pòſt graviſſimis calculi dolo-

K 2

(r) Ex Literis Perilluſtris Dni. L. B. de Imbſen.
(ſ) Ex Literis ejuſdem Abbatis.

doloribus conflictari cœperit, in his B. LIBORIUM ſollicitè invocaverit, celerem ab eo medelam obtinuerit, atque ex illo tempore nihil ampliùs hujuſmodi pœnarũ vel cruciatuum expertus fuerit. Qua de cauſa (inquit in iiſdem literis) ſibi nunc firmiter in animo conſtitutum eſſe, per decurſum hujus anni novum Altare ad ipſius honorem ſtruere, lapideam ei Statuam prope ſui Monaſterii muros erigere, proximóq; S. LIBORII feſto perenne anathéma huic magno Thaumaturgo è Sacelli Kunſtadienſis tholo ſuſpendere. Poſtremò etiã in eadem epiſtola memorat, quòd, cùm in Moravia permulti homines arenarum & calculi doloribus vehementer obnoxii ſint; plerique locorum iſtorum incolæ privato cultu S. LIBORIUM, velut ſingularem iſtius mali Medicatorem, venerari ſoleant.

IX. In Bavariam LIBORIani cultûs notitia ſuperiore Sæculo invecta eſt à Sereniſſimo Principe Maximiliano, utriuſque Bavariæ Duce, & Romani Imperii Electore. Nam & ipſe nephritico dolore preſſus, & invocatione S. LIBORII ab eodem feliciſſimè liberatus fuerat. Quare, ut ſoſpitalem

lem ejuſmodi Sanctum ſuis quoque Bavaris familiarem faceret; anno 1650 aliquam Reliquiarum ejus particulam à Ferdinando Fratre ſuo, Colonienſi Electore & Paderbornenſi Epiſcopo, enixè petiit. Ac tametſi tunc deſiderati hujus munuſculi traditio (*t*) celeriore ſui Fratris obitu retardata fuerit; altero tamen anno (cùm Theodorus Adolphus de Reck, Ferdinandi Succeſſor, Paderanum Epiſcopatum adiiſſet) particula quædam de cranio S. LIBORII ſuprà dicto Electori Monachium tranſmiſſa, & eidem ſub initium Julii decentiſſimè porrecta eſt à Rmo ac Perilluſtri Domino Hermanno Wernero de Wolff Metternich, tunc Majoris Ecclesiæ Paderbornenſis Canonico, poſtea Decano, ac demum Epiſcopo: utì conſtat ex ejuſdem Electoris Maximiliani literis, eodem anno die decimâ Julii ad Capitulum Paderbornenſe redditis. In Archiepiſcopatu Moguntino Thaumaturga S. LIBORII virtus jam decantari cœpta eſt ab anno Chriſti 1267, quando Wernerus Archiepiſcopus (utì jam alio in loco diximus) Paderbornæ apud Lipſanothecã

(*t*) *Ex Literis Archivi Paderb.*

S. LIBORII ab immedicabilibus calculi doloribus & annexo vitæ periculo derepente convaluit. Hoc enim evidenti ac ferè palpabili miraculo Sanctus noſter apud omnes Moguntinæ Provinciæ Clericos eam ſibi exiſtimationem peperit, ut ejus feſtum cum *Officio proprio* veteribus ejuſdē Eccleſiæ *Breviariis* ac *Miſſalibus* adſcriptum fuerit. Similiter & olim in Metropolitana Trevirenſi Divum noſtrum diuturnâ veneratione conſpicuum fuiſſe, diſcimus ex Erlewinio, & ejus Hiſtoria, quam de Reductione Reliquiarum S. LIBORII *(u)* in lucem edidit. Nam in ea perſpicuè ſcribit ſuprà dictus Auctor, quòd Rm̃us Abbas ad S. Maximinum prope Treviros, cùm Reliquiæ LIBORIanæ è Lotharingia reductæ, & in ejus Monaſterio per unius diei ſpatium repoſitæ eſſent; ſolenne Sacrum de S. LIBORIO ante ejus Reliquias decantaturus, *Orationem* ipſius *propriam*, & ab antiquis temporibus uſitatam, repererit in *pervetuſto Breviario Trevirenſi*, cui illa inſerta erat his verbis: *Collecta de S. Liborio Epiſcopo, xxiii Iulii.*

(u) Erlevvein in Hiſt. de Reduct. Reliq. apud Bolland. n. 12.

Julii. Deus, qui B. Liborium, pium Pontificem, ſpeciali privilegio in medendis urinarum & calculi paſſionibus, ad ſalutem fidelium decoráſti: tribue, quæſumus, ut ità ipſius meritis & interceſſione ab iis malis eruamur, ut æternis gaudiis perfruamur, &c.

X. In Archiepiſcopatu Bremenſi nunc quidem exolevit omnis erga S. LIBORIUM pietas, quam duobus adhinc Sæculis inde perperam expulerunt introductæ primùm Lutheri, ac deinde Calvini veteratoris hæreſes. Ea tamen jam olim à quingentis & ampliùs annis ibidem efflorеſcere cœperat ſub Unwano Archiepiſcopo, qui anno circiter milleſimo decimo tertio, S. Henrici Imperatoris nominatione, Bremenſis Eccleſiæ gubernationem adiit. Hic enim, cùm è Clero Choróq; Paderbornenſi ad eam Infulam evocatus eſſet, grati animi exhibendi cauſâ non modò in favorem Eccleſiæ Paderanæ abdicavit partem ſui patrimonii, videlicet opulentum ac nobile prædium (x) in *Honſtede*; ſed etiam, ut veteris Patroni ſui cultum ac memoriam in Epiſcopatu ſuo propagaret, ad honorem S. LI-

(x) *Vita B. Meinvverci, ap. Overham n. 22 & 23.*

BORII novum Altare in Auſtrali parte Chori Bremenſis condidit & conſecravit. Neque dubium eſt mihi, quin & aliquam LIBORIani corporis particulam à B Meinwerco Epiſcopo & conſanguineo ſuo pro eodem Altari impetraverit : ubínam verò hæc poſtmodùm inter infauſtas Lutheri Calviníq; novationes manſerit, quis divinet? Denique Monaſterii Weſtphalorũ, LIBORIani nominis & honoris gloria potiſſimùm illuſtrari cœpit ab anno 1631, quo nova S. LIBORII Lipſanotheca argentea, propter inimicam Haſſorum invaſionem, ac diuturnos bellorum ſubſequentium impetus, à Paderæ fontibus ad Monaſterienſem Eccleſiam deportata, ibíq; pro majori ſecuritate uſque in annum 1650 ſollicitè cuſtodita fuit. Nam (ùt ſcribit Anonymus quidam (y) in libello, de S. LIBORII laudibus evulgato) civitas illa, quæ ſæpe antea peſtilenti lue morbíſq; exitialibus ſolebat infeſtari, intrà omnes LIBORIanæ cohabitationis annos ab hujuſmodi malo prorſùs intacta manſit; neque ullo gravioris morbi contagio tentari viſa eſt. Quin & idem Ano-

(y) *In Libello, cui titulus*, Rationale.

Anonymus addit, quòd, cùm ibidem in diuturno Germanicæ pacis tractatu, multi è quàm plurimis diverſorum Principum Legatis adverſâ valetudine interdum correpti ſint; penè omnes illi ad optatam ſui corporis & membrorum ſanitatem redierint, qui ad S. LIBORII patrocinium ſe receperant. Unde etiam anno 1651 Celſiſſimus Princeps Christophorus Bernardus de Galen, Epiſcopus Monaſterienſis, unà cum Illuſtriſſimo Cathedralis Eccleſiæ Capitulo, particulam aliquam ſacrorum hujuſmodi Lipſanorum avidiſſimè expetiit; eâq; ex animi voto impetratâ, S. LIBORII feſtum in æde Cathedrali, die viceſimâ tertiâ Julii, *ſub ritu duplici* perpetuis temporibus celebrari præcepit.

CONCLUSIO
Hujus Capitis, ac ſimul totius Opuſculi.

Ex his, quæ hucuſque fuſiùs enarrata ſunt, omnes incolæ Diœceſis noſtræ, maximéq; hujus, tam nobili theſauro condeco-

ratæ urbis Paderbornæ, facili negotio perſpicere, & intrà ſemet ipſos arbitrari poterunt, quàm ſingulari pietatis affectu magnũ Urbis ac Diœceſis noſtræ Patronum colere; ejúſq; invocationem, inter Lutherana fortaſſe tempora nonnihil imminutam, reſuſcitare debeamus: ne certè Nationes exteræ, & quæ ex urbe noſtra non niſi parvulam ſacrorum hujuſmodi Oſſium particulam accepêre, in promovendo ſancti hujus Medicatoris cultu nobis palmam præripiant. Rectè & paternè id noſtris deceſſoribus jam dudum inculcavit Celſiſſimus Princeps & Epiſcopus noſter Ferdinandus Fürſtenbergius, in literis (*a*) ad Cathedrale Capitulum datis anno 1662 die 4tâ Aprilis: *Itali*, inquit, *& potiſſimùm plurimi ex Præſulibus Curiæ Romanæ, ſanctum LIBORIVM, ejúſq; ſacras Reliquias, eximia devotione & pietate proſequuntur; nobiſq;, qui plures & juſtiores cauſas habemus, inſigne exemplum præbent, ut majori quodam honore & veneratione ſanctum Patronum noſtrum ejúſq; ſacra Lipſana afficiamus, nec in hac pietate ab externis nos vinci patiamur.* Laudatiſſi-

(*a*) *Literæ in Archiv. Cath. Eccl.*

tiſſimis hujuſmodi verbis ac monitionibus conſonabant pariter glorioſa ipſius acta. Cùm enim haud paulò pòſt ab acutiſſimis calculi torſionibus per interceſſionem S. LIBORII liberatus eſſet; in accepti beneficii memoriam, anno 1681 die decimâ quintâ Februarii, Cathedrali Eccleſiæ Paderanæ donavit argenteam S. LIBORII ſtatuam, argenteum antipendium pro ſummo altari, argentea ſex candelabra cum effigie Chriſti Crucifixi, multáq; alia pretioſa ornamenta non parvi ponderis ac valoris. His autem addidit votivam tabulam (*b*) ex eodem argento factam, cui magnificæ hujus donationis cauſas Proſâ & Carmine ſic inſcripſit:

S. LIBORIO
Epiſc. & Conf.

Arenarum et Calculi doloribus conflictantium præcipuo apud Deum Advocato,

FERDINANDUS

Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Pader-

(*b*) *Tabula hæc eſt in Sacrario Cathedr. Eccl.*

Paderborn. ac Monaſterienſis, Burggravius Strombergenſis, S. R. I. Princeps, Comes Pyrmontanus, Dominus in Borckelo, & Liber Baro de Fürſtenberg,

Vot. ſol. Anno MDCLXXXI.

Salvete, ô ſacri cineres! ſalvete Libori
Prodigiis celebres grandibus exuviæ!
Gallia vos olim Cenomanis miſit ab oris,
Nunc columen Paderæ præſidiúmq; meæ.
Vos ego, vos ſupplex veneror. Tu, quæ damus aræ,
Munera; tu noſtras accipe, Dive, preces!
Ne feſſum morbo poſthac me tentet acuto
Calculus, aut renes urat arena meos.
His te namque malis mirâ virtute mederi,
Multa docet ſacris fixa tabella tholis.
Tunc mea Muſa tuos latè celebrabit honores
Supplicibus facilem ſæpe ferentis opem.
Tunc mihi læta fluent niveis ſignanda lapillis
Tempora, tunc cultus creſcet ubique tuus.

OFFICIUM PARVUM

de S. LIBORIO Epiſcopo, Magno Thaumaturgo,

& ſingulari Patrono contra calculum.

AD MATUTINUM.

Laudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus. pſ. 150.

℣. Domine labia mea aperies,

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende,

℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, ſicut erat &c. Amen. Alleluja.

NB. *Loco hujus* Alleluja, *à Septuageſimâ usque ad Paſcha dicitur*, Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

O LIBORI! Præſul bone,
Advocate, & Patrone
Quovis in diſcrimine!
Noſtra ſpes in rebus duris,
Conſolator in preſſuris
Corporis & animæ!

De

De cœlorum celſa æde,
Beatorum læta ſede,
Me clientem reſpice :
Gratiosè preces audi,
Quas dicabo tuæ laudi ;
Nec orantem deſpice !

Antiphona. Hic eſt fratrum amator, & populi Iſraël : hic eſt, qui multùm orat pro populo, & univerſa ſancta civitate. 2. Mach. 15. 14.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui S. Liborium Pontificem tuum, aliis innumeris glorioſum miraculis, ſpeciali in medendis arenarum & calculi paſſionibus privilegio decorâſti : præſta, quæſumus, ut ipſius meritis & interceſſione his aliiſq; malis eruti, gaudiis perfrui mereamur æternis, per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ſpiritus ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Am.

AD LAUDES.

℣. Deus in adjutorium meum intende,

℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri &c. *uti ſuprà.*

Hymnus.

Ab ingreſſu juventutis
Cor & mentem ad virtutis
Contuliſti ſtudium :
Hæc deinceps in te crevit,
Et conſtanter adolevit
Ad ſtuporem omnium.
Fac, & ego ſic intendam
Rebus ſacris, & impendam
Me virtutum cultui :
Fac, in fide, ſpe, amore,
Probè creſcam te Doctore,
Utì ſemper debui.

Antiphona. Cùm adhuc junior eſſem, priuſquam oberrarem, quæſivi ſapientiam palàm in oratione mea : ante templum poſtulabam pro illa, & uſque in noviſſimis inquiram eam. Eccl. 51. 18.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui S. LIBORIUM &c. *utì ſuprà.*

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri &c.

Hym-

Hymnus.

In doctrina mandatorum,
Ore Chriſti traditorum,
Perſtitiſti gnaviter :
Nemo vidit te peccantem,
Vel à recto deviantem,
Ac prolapſum graviter.
Ora Deum, ut & ego,
Dum in fluxa carne dego,
Sinè lapſu maneam :
útq; ſemper caſtam vitam,
Et à noxis cuſtoditam,
Hîc in orbe peragam !

Antiphona. Legem pone mihi Domine viam juſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper : da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo. Pſ. 118. 33.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui S. Liborium &c. *utì ſuprà.*

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri &c.

Hymnus.

Hymnus.

Tuæ mentis lenitudo,
Humilíſq; manſuetudo
Probabatur omnibus.
Plenus eras charitate,
Plenus omni ſuavitate,
Placidíſq; moribus.
Fac, ut ego quoque vitem
Iras omnes, nec ad litem
Sim & rixas facilis:
Ora JESUM & MARIAM,
Ut exemplo horum fiam
Mitis, blandus, humilis!

Antiphona. Ante Dominum, qui elegit me, vilior fiam, plùs quàm factus ſum; & ero humilis in oculis meis. 2. Reg. 6. 21.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui S. LIBORIUM &c. *ubi ſuprà.*

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri &c.

Hymnus.

Omnem plauſum & honorem
Mundi hujus, ùt vaporem,
Deſpexiſti penitùs:
Soli Deo inhæſiſti,
In hoc ſolo quieviſti
Præ creatis omnibus.
Sanĉte Præſul! pro me ora,
Ut & ego ſinè mora
Mundi pompas negligam:
Soli Deo ſim innixus,
Huic mente ſim infixus,
Et hunc ſolum diligam!

Antiphona. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo. 1. Joan. 2. 15.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui S. Liborium &c. *utì ſuprà.*

AD NONAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri &c.

Hym-

Hymnus.

Sanctus Præſul te Martinus,
Morti eſſes cùm vicinus,
Ægrotantem adiit.
O ! quàm pios cordis motus,
Cùm arderes Deo totus,
Tecum is elicuit ?
Ah ! & mihi, ô Libori,
Quando fata jubent mori,
Sacerdotem advoca :
Dum ſupremus urget angor,
Atque mortis falce tangor,
Ad ſolandum advola !

Antiphona. Moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia! *Num. 23. 10.*

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui S. Liborium &c. *utì ſuprà.*

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri &c.

Hymnus.

Mox ut cœlos attigiſti,
Admirandis incepiſti
Signis inclareſcere :
Tunc incepit claudus ire,
Curvus rectà ſubſilire,
Cœcus aſtra cernere.
O Antiſtes Deo chare !
Iſta quoque operare
Intrà meam animam !
Fac, ſuperna me ſpectare,
Pede recto ambulare
Ad beatam patriam !

Antiphona. Mortuum prophetavit corpus ejus : in vita ſua fecit monſtra (*ſeu prodigia*) & in morte mirabilia operatus eſt. *Eccli. 48. v 14. & 15.*

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui S. Liborium &c. *uti ſuprà.*

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos Deus ſalutaris noſter,
℟. Et averte iram tuam tuam à nobis.
℣. Deus in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri &c. *Hym-*

Hymnus.

Contra morbes oculorum,
Pedum quoque, & lumborum,
Te fideles invocant:
At præſertim acriore
Calculorum in dolore
Te Patronum prædicant.
Fac, me morbis expediri,
Nec urentis experiri
Calculi ſævitiem:
Ac, ne fruſtra iſtud orem,
A me auffer graviorem
Peccatorum ſilicem!

Antiphona. Amplificatus eſt in mirabilibus ſuis: & quis poteſt ſimiliter ſic gloriari? *Eccli. 48. 4.*

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui S. Liborium &c. *uti ſuprà.*

CONCLUSIO.

Iſta ſunt, quæ ſupplex oro,
Ac pro quibus te imploro:
O Patrone, audi me!
Et tu JESU Dei nate,
Noſtri cauſâ incarnate,
Mea vota reſpice!

Scio quidem, tranſgreſſorem
Eſſe me, & peccatorem
Coram tua facie :
Sed tu, JESU, rubicundâ
Me cruoris tui undâ
A peccatis ablue !
Cùm è cœlo deſcendiſti,
Nomen JESU aſſumpſiſti,
Ut in te ſtet noſtra ſpes.
Quæſo, nomen hoc attende,
Salvatorem te oſtende,
Eſto mihi, id quod es !

LITANIÆ
De S. LIBORIO.

Kyrie eleïſon, Chriſte eleïſon, Kyrie eleïſon.
Chriſte audi ! Chriſte exaudi nos !
Pater de cœlis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus ſancte Deus,
S. Trinitas, unus Deus,
Miſerere nobis.
S. Maria, ora pro nobis.
S. Dei Genitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis.
San-

Sanĉte LIBORI,
Sanĉte Epiſcope & Confeſſor,
Sanĉte animarum Paſtor,
Serve bone & fidelis Domini,
Vir ſecundùm cor Dei,
Imitator Apoſtolorum,
Doĉtor veritatis Evangelicæ,
Propugnator fidei Catholicæ,
Contemptor vanitatis mundanæ,
Triumphator Diabolicæ poteſtatis,
Exemplar virtutis,
Speculum perfeĉtionis,
Fundator plurium Eccleſiarum,
Amplificator Chriſtianæ pietatis,
Inſtruĉtor ignorantium,
Reduĉtor aberrantium,
Correĉtor peccatorum,
Refugium ægrotorum,
Illuminator cœcorum,
Reſtitutor claudorum,
Curator ſurdarum aurium,
Expulſor Dœmonum,
Opitulator in doloribus calculi,
Patrone tutelaris hujus urbis & patriæ,
Præſul glorioſiſſime,
Præſul pientiſſime,

Ora pro nobis.

Præſul inculpatiſſime,
Præſul caſtiſſime,
Præſul mitiſſime,
Præſul humillime,
Præſul benigniſſime,
Præſul patientiſſime,
Præſul zeloſiſſime,
Præſul induſtrie ac indefeſſe,
Præſul Divinæ voluntatis obſervantiſſime,
Præſul thaumaturge, & miraculis propè innumeris à Deo illuſtrate,
Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleïſon, Chriſte eleïſon, Kyrie eleïſon.

Pater noſter &c.

℣. Laudate Dominum in Sanctis ejus.

℟. Laudate eum in firmamento virtutis ejus.

℣. Mirabilis Deus in Sanctis ſuis,

℟. Et

℟. Et ſanctus in omnibus operibus ſuis.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Aurem tuam, quæſumus Domine, clementer inclina ad preces noſtras, quas ad honorem S. Liborii Confeſſoris tui pro exigua devotione noſtra peregimus : & , quia juſtitiæ noſtræ fiduciam non habemus; concede , ut interceſſione & meritis ejus, qui tibi ſingulariter in hac vita placuit, conſtanter adjuvemur.

Benedic, Domine, omnipotenti dexterâ tuâ ſupplicantem populum tuum ; & B. LIBORII Confeſſoris tui atque Pontificis interveniente Patrocinio, ad omni adverſitate corporis & animæ nos benigniſſimè cuſtodi, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum. Amen.

Hymnus de S. LIBORIO,

qui poſſet etiam adhiberi in Veſperis.

Franciæ quondam decus atque lumen,
Quem colit *Sartæ* (a) *Paderaq;* flumen,

(*a*) *Sarta, fluvius Cenomanorum.*

Huc ades nobis ope ſanctiori
Dive LIBORI!
Tu vir in terris humilis, pudicus,
Nec levis mundi vitiis amicus,
Viſus es jugi pietate ſurſum
Tendere curſum.
Tu Sacerdotum decus atque forma,
Factus es Cleri populiq; norma:
Et, quod externè tua vox monebat,
Vita docebat,
Larga mendicis bona contuliſti:
Pro Dei cultu ſolitus fuiſti
Ære non parvo fabricare claras
Numinis aras.
Nunc Deo junctus ſuperíſq; Divis,
Alta cœlorum ſuper aſtra vivis.
Inde nos mœſtos miſeróſq; dulci
Munere fulci!
Te, Deus ſimplex paritérq; trine,
Cœlitum laudet chorus abſque fine:
Ac tibi ſemper canat ampliores
Laudis honores.

Alius.

Qui poſſet adhiberi in Matutino.

Qualis agnorum pecorúmq; Præſes,
Gnavus, & nunquam vigilare deſes,
A ſuis

A ſuis arcet gregibus ferorum
Ora luporum.

Sic Cenománis (ubi præfuiſti)
Præſul ac *Paſtor bonus* exſtitiſti,
Subtrahens illos Phlegetontis ori,
Sanɛte LIBORI.

Pòſt, ubi cœlum fueras adeptus,
Et Beatorum gremio receptus;
Paderæ tellus tenuit refoſſa
Corporis Oſſa.

Hîc in electa ſtatione, dignis
Te Deus fecit radiare ſignis:
Hîc dabas ægris ope deſtitutis
Dona ſalutis.

Sæpe tunc ſurdis patuit medela,
Sæpe tunc mutis rediit loquela,
Sæpe tunc cœcus ſtupuit refuſum
Luminis uſum.

Imò jam triſti propè morte functi,
Aut in extremis oleo peruncti,
Hîc receperunt rediviva tritæ
Munera vitæ.

Sis, precor, nobis Deus alme præſtò:
Cúmq; de vivis rapiemur, eſto
Præmium nobis animæq; munus
Trinus & unus.

Alius.

Alius.

Qui adhiberi poteſt in Laudibus.

JESU ! corona mentium
Æterna te colentium :
Quo dante, non inglorius
Tot ſigna dat LIBORIUS.
En ſacra lux inclaruit,
Quâ Præſul hic apparuit
In ſempiterno lumine,
Tuo beatus Numine.
Hic poſt ſubacta crimina,
Ad celſa Divûm limina
Pervenit abſtinentiâ,
Precúmq; diligentiâ.
Orci furores deſpuit,
Mundi caduca reſpuit,
Fulſítq; caſtimoniâ
Morúmq; ſanctimoniâ.
Durabat in laboribus,
Gaudebat in doloribus :
Sic ille per terreſtria
Tetendit ad cœleſtia.
JESU ! precantes reſpice,
Nec vota noſtra deſpice :
Largire nobis gratiam,
Et ejus efficaciam.

Fac,

Fac, in tuorum cordibus
(Quæ munda fac à ſordibus)
Divina creſcat charitas,
Vitæq. puræ claritas!
Et tu beata TRINITAS,
Boníq; fons Divínitas,
Nos ad ſalutis atria
Duc in ſuperna patria. Amen.

Oratio pro ſalute ac proſperitate
hujus Urbis ac Diœceſis.

Sancte LIBORI, Epiſcope ac Patrone tutelaris! Proſpice, quæſumus, è ſublimi cœlorum habitaculo, & oculos tuos indeſinenter converte ad corporalem ſimul ac ſpiritualem proſperitatem hujus Urbis ac Diœceſis Paderanæ; quæ jam à nongentis & ampliùs annis, poſt Deum & ſanctiſſimam Dei Genitricem Virginem MARIAM, ſub tuâ peculiari tutela ac defenſione conſtitit. Repelle ab eâ faventiſſimo patrocinio tuo funeſta bella & incendia, famem & inopiam, peſtes & contagia, & quidquid ampliùs malorum atque pœnarum propter peccata noſtra nobis infligere Divina juſtitia poteſt. Reconcilia nos Deo

noſtro

noſtro ! commenda nos Deo noſtro ! Ac, ne deſidiâ noſtrâ tuum à nobis patrocinium avertamus ; à Deo pariter nobis impetra ſingularem impulſum excitantis gratiæ : vi cujus, pro noſtræ clientelæ debito, ardentiorem animi devotionem erga te concipere, & in ea quotidianis incrementis proficere ac perſeverare valeamus. Amen.

Oratio antiqua de S. LIBORIO contra calculum.

Chriſti Præſul egregius
Pro nobis hîc Liborius
Oret Deum altiſſimum,
Ne pro culpâ peccaminum,
Morbo vexemur calculi.
Succurrant nobis Angeli,
Et poſt vitæ certamina
Ducant ad vera gaudia.

℣. Ora pro nobis pie Pater Libori,
℞. Ut à calculi mereamur doloribus liberari.

Oremus.

Deus, qui S. Liborium Pontificem tuum, aliis innumeris glorioſum miraculis, ſpeciali in medendis arenarum & calculi

calculi paſſionibus privilegio decoràſti: præſta, quæſumus, ut ipſius meritis & interceſſione his aliiſq; malis eruti, gaudiis perfrui mereamur æternis, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Admonitio.

De virtute & efficacia hujus antiquæ precationis neceſſarium duxi hîc apponere aurea illa verba, quæ de ea ſcribit Bollandus in Præfatione ante Vitam & Acta S. Liborii: *Celeberrimum*, ait, *quod ad iſtas calculi curationes attinet, eſt S. LIBORII nomen. Neque fruſtra illius, mihi crede, quicunque huic obnoxius es malo, auxilium implorabis. Quibus autem potiſſimùm actionibus virtutum tibi eum fas ſit conciliare, tua tibi pietas dictabit. Audeo polliceri, ſi vel Orationem Dominicam ac Salu-*

Salutationem Angelicam ad ejus honorem quotidie recitaveris, cum ea veteri precatione, non cariturum te fructu tantillæ devotionis. Tu illud, Lector, etiam ad alia corporis incommoda, in quibus plurimi Liborianum patrocinium utiliſſimè experti ſunt, pro tuo in hunc Sanctum affectu & fiducia applicare poteris.

HYMNI ANTIQUI
Ad S. LIBORIUM,
ab aliquibus mendis expurgati.

I.

Ex membranâ affixâ tabellæ, olim appenſæ in Choro Cathedralis Eccleſiæ Paderbornenſis, juxta ſummum Altare, in ſedibus ad Cornu Epiſtolæ.

O LIBORI, Confeſſor Chriſti,
Sobriè ſanctéq; vixiſti:
Tu in humanis cùm egiſti,
Vitam bonam aſſumpſiſti:
Una harum erat activa,
Reliqua contemplativa.
Unde hæc virtus contentiva,
In corde tuo durativa,
Fecit ex te vinearium
Ac fidelem operarium.
Quare diurnum denarium,
Laboris tui ſalarium,
Tu in vinea acceptaſti
Dei, quem ſincerè amaſti.
Horas undecim laboraſti, *S. Liborii labores.*
Frigus æſtúſque portaſti,
Talentum tibi deſtinatum,
Per verbum Dei incarnatum,

Non tenuiſti occultatum;
Sed reddidiſti duplicatum,
In verbo Dei proferendo,
Tuóſque ſubditos docendo,
Viam veritatis tenendo ,
Salubritérq; commonendo,
Sua peccata propalare ,
Et de cætero non amare,
In factis bonis inſudare,
Fratrem ſuũ nunquàm turbare.
Eccleſiarum Servitores,
Habentes probatos mores,
Quoſdam ad Ordines minores,
Magìs dignos ad altiores,
Ex tunc dedicaſti promotos :
Inſufficientes, ignotos,
Et conſcientiâ non lotos,
A te ſpreviſti ut amotos.
Lux tua palàm ſic lucebat,
Et inter homines fulgebat :
Hinc eis meritò licebat,
Patrem de cœlis, qui regebat
Opus tuum, glorificare.
Nam ſtuduiſti coarctare
Lumbos tuos, nec inquinare;
Sed ſtricto cingulo ligare

Con-

Continuæ continentiæ. *Virtutes.*
Sic ſpiritu ſapientiæ,
Timoris & patientiæ
Vixiſti, & innocentiæ.
Deinde ad ſæcularia,
Tuæ domûs neceſſaria,
Summa & particularia
Complêſti opera varia.
Pòſt ab omnipotenti Deo,
Pro vero anno Jubilæo,
Aſſignato tibi ab eo
(Quod & ſtatuit lex Judæo.)
Qui quinquageſimus fuerat,
Epiſcopatus duraverat
Tuus: ſic Chriſtus impleverat
Vitam tuam, quam amaverat.
Tunc ab hac luce te amovit,
Fideliſſimúmque cognovit,
Et mirâcla, queîs ægros fovit,
Per te facienda promovit.
Attamen priùs viſitatus,
Ac poſt egreſſum vitæ ſtatûs,
A ſancto Martino humatus, *Sepultura.*
Et in ſepulchro es locatus.
Corpore tuo ſublevato,
Suaviſſimo odore dato,

Energumeno liberato,
Malóq; dæmone fugato,
Legati, qui miſſi fuerunt,
Cenomanicos petiverunt.
Tranſlatio. Qui iiſdem aſſenſum dederunt,
Et tuum corpus obtulerunt,
Ut ad Eccleſiam portarent,
In Paderborna præſentarent,
Honorificè collocarent,
Ac fideliſſimè amarent.
In via tu Dei amator,
Bonorum meorum inſpirator,
Fuiſti trium ſuſcitator
Mortuorum; ac liberator
Paralyticis, & morboſis,
Mutis, ſurdis, ac calculoſis,
In hac miracula. Maniacis atque leproſis,
Claudis, cœcis, & ſcabioſis.
Híſq; omnibus ſic ægrotis,
Chriſto atque tibi devotis,
Subveniſti. Fide promotis
Catholicâ, nobis tibi notis,
O Libori, dignare tamen
Tuum dare ſolamen,
Noſtrúmque fieri tutamen.
Quod præſtet nobis Chriſtus!
Amen. HYM-

Hymnus II.

Ex eâdem Tabulâ.

Felix Præſul, ô LIBORI:
Stirpe natus meliori,
Luxus mundi refutaſti,
Genus tuum adornaſti
Flore maximo virtutum:
Ad jubentis Chriſti nutum
Viſus inopum amator,
Et Sanctorum imitator,
Caſtus largus & benignus,
Omni laude mundi dignus.
Ob hoc Deus dedit tibi
Dona ſacra hîc & ibi:
Multa mira per te fecit,
Malos ſpiritus ejecit.
Mutos, ſurdos tu curaſti,
Cœcis viſum reformaſti,
Colicæ tu ſanas curas,
Aufers calculi torturas.
Qui & prece fortunatus,
Promoves piorum ſtatus,
Hos ad ſancta convocando,
Et pro iis deprecando.
Hinc in bonum meum ſtatum
Flectas ipſum Deum gratum:

S. Liborius virtute clarus,

& miraculis.

præſertim curatione calculi.

Ad pium ſtatum juvat.

Me

Me virtutum claritate
Frui fac, & ſoſpitate;
Ut procedat hinc laus Deo,
Ac profectus mihi reo.
Da, me tuum ad exemplum
Eſſe dignum Dei templum:
Sua ſervem ut mandata,
Vitem mortis & peccata.
Precor ſupplex te, Libori,
Me diſpone ſanctè mori:
Ut poſt iſtum finem ità
Queam in cœleſti vitâ
Deum verum collaudare,
Gaudiis & abundare. Amen.

III.

Ode Sapphica,

Ex eadem tabula Paderbornenſi.

Purpurâ ſacræ decorantur aræ,
Cerei flammâ renitent perenni,
Divitum fulgent pretioſa ſacro
Munera templo.
Hoſtias mecum tenues egenus
Affero, & donum viduæ * celebris *Luc. 21. 2.*
Infero ad ſacram exiguum Liborî
Præſulis aram.

Sapphi-

Sapphicis laudes Patriæ Patrono
Verſibus dicam referámque digno;
Impari quanquam celebrabo talem
Carmine patrem.
Quis tuis æquos meritis honores,
Quis tuæ dicet veneranda vitæ
Laudibus dignis opera & labores
Sanćte Libori?
Lac puer primùm Sophiæ imbibiſti: *Liborius*
Pòſt vigil ſacros legis & pererras *ſtudet.*
Codices, jungens gelidæ diebus
Tempora noctis.
Stirpe de clarâ ſatus, impudicos *Sanctè &*
Reprimis motus ſcelerum: ſuperbas *caſtè vi-*
Sæculi pompas, genꝰ, arva, & omnes *vit.*
Spernis honores.
Conjugis ſpernis thalamos: orexin
Edomas ventris cupidam: labore
Atteris carnem nimio, rebellem
Ne patiaris.
Te ſacro hæc virtus tua Præſulatu *Fit Epiſ-*
Fecerat dignum: populus tiaram *copus.*
Præſulis digno tibi Cenomanus
Credere gaudet.
Inde nil ſueti minuens rigoris,
Acriùs carnem maceras: ſuperni

Pervigil pulſas prece crebriori
Judicis aures.

Prædicat. Pontifex verbo populos ſalubri
Dœmonis vitare mones cruenti
Noxias fraudes : iter ad ſuperna
Gaudia pandis.

Quinquies denum ingrediens Decembrem
Moritur Pontifex, morbo moriturus acri
Carperis : diræ Lacheſis ſorores
Stamina rumpunt.

Liberum à culpis, meritis opimum
Spiritum, lapſi tenues per auras
Angeli, dulces modulos canentes,
Æthere ſiſtunt.

Transfertur. Sacra theſaurus tua glorioſus
Oſſa ad externos ierant, ferenda
Saxonum genti, Paderæ propinqua
Quæ tenet arva ;

Mira per ſacros cineres peregit,
Plurimùm ut monſtret Deus eſſe dignum
Te, ſuam cuî Weſtphalici ſalutem
Credere poſſent.

Dœmo-

Dœmones, aulæ ſtygiæ ſuperbi *Multa facit miracula.*
Principes, membris hominum inſi-
dentes,
Ac truci mentem furiâ moventes,
Ejiciuntur.
Qui ſibi lumen doluêre ademptum,
Lucidos ſolis radios videre
Impotes, te dum rogitant, recep-
tant
Luminis uſum.
Clamat, & laudes Domino ſonoras
Reddit, & voces ſuper aſtra tollit,
Ægra cuî natura priùs ligârat
Organa vocis.
Tibiæ arentes ſuperinduuntur
Carne vivaci, ſaliúntque claudi;
Membra contractis proprios ad usꝰ
Reſtituuntur.
Impium fati imperium potentis *Mortuum ſuſcitat.*
Flectitur: cœco revocatur umbra
Carcere, & vitæ gelidum cadaver
Munere donat.
Surdus inſuetas hominum loquelas
Audit, ut primùm gemitu ſilenti,
Et piâ mentis prece, ſoſpitatem
Cernuus orat.

Oſſa præcelſo veneranda poſtquàm
Condidit templo populus, deeſſe
Artubus nunquam voluit ſacratis
Cœlica virtus.

Tempe- Nauta diſjectus Pelagi per undas,
ſtatem ſe- Expavens mortis faciem cruentæ,
dat: Dum tuam depoſcit opem, reſedit
Sæva procella.

Captivos Ferreæ ſtrinxêre alios catenæ,
liberat. Compedes torſêre alios: perîclo,
Te duce, elapſi, hoc ſua collocâ-
runt
Vincula templo.

Curat Calculi dirum & colicæ dolorem
calculum Mitigas: æger prece ſi fideli
Poſtulet, cunctos potis es nocentes
Pellere morbos.

Antè ſol condet roſeas quadrigas
Æquore, & noctis tenebræ redi-
bunt;
Mira quàm poſſint, quibus es co-
ruſcans,
Cuncta referri.

Auctor Ergo te Cleri veneranda turba
cum in- Supplici devota rogat precatu,
vocat.

Proſpe-

proſpero pergat,duce te,ad ſuperna
Gaudia curſu.
Te patres cani, tremulæq; matres,
Conjuges caſtæ, pueri & puellæ,
Poplite in terram poſito, Libori
Sanćte, precantur:
Nos ab excelſo aſpiciens Olympo,
Corporis morbos, animæq; peſtes,
Et famem avertas, ſubitámq; mortem &
Bella, precamur.
Da probos mores teneræ juventæ,
Da ſenećtuti placidâ quiete
Perfrui, & nos poſt fera fata, cœli
Transfer ad arcem.
Tu Paderborna urbs nimiùm beata,
Dum tuis ſervas veneranda templis
Sacra, dum juſto cumulas honore
Oſſa Liborî:
Improbis iras ſuperûm potentes *Paderbornenſes monet.*
Aćtibus noli cumulare demens;
Ne flagellari magè, quàm juvari,
Digna proberis.

Se-

IV.

Sequentia

Ex veteri Miſſali proprio Eccleſiæ Paderbornenſis.

Eja jubilemus Deo,
Cum concentu Jubilæo,
Cum affectu cordium!
Delectetur laus in eo,
Qui mirifico trophæo
Donavit Liborium.
Nobilis. Stirps vetuſta & præclara,
Mundo grata, Deo cara,
Protulit hunc Sæculo.
Sanctus. Nil ultra potens natura
Tranſcendit gignendi jura,
Talem edens puerum:
Ætas in quo tenera
Vilipendit ſcelera,
Contemplatrix operum.
Mundo placens adoleſcens,
Flos virtutum, fructus creſcens,
Dedit Philoſophicis
Diſcendi Diſciplinis operam;
avidus. Nec mens egit perperam,
His imbuta ſtudiis.

Lux

Lux honeſtæ charitatis,
Addit gemmas ſanctitatis
Ejus Pontificio.
Non remiſſus, non elatus,
Laude ſummâ Præſulatûs
Præſedit officio.
Non ſunt linguæ tam facundæ,
Quæ depromerent abundè
Ejus beneficia:
Nam quantorum meritorum
Sit, crebra miraculorum
Declarant indicia.
Annis poſtquàm quadragenis
Præſul vixit & novenis
Urbi Cenomanicæ;
A Martino viſitatus,
Eſt humatus, æternatus
Hierarchiæ cœlicæ.
O Pontificem beatum!
Cujus corpus elevatum
De concluſo tumulo,
Paſſim diffudit odorem,
Aromatis ſuaviorem,
Circumfuſo populo.
Indè verò dum portatur,
Dœmoniacus curatur:
Mulier erigitur

Clarus miraculis in vitâ,

& in translatione.

Incurvata per naturam :
Surdus atque mutus curam
Puer adipiſcitur.
Virgo tribus pœnis data,
Per Dœmonium vexata,
Surda, muta, tot curata
Gaudet à doloribus.
Cœca lumen oculorum
Sumit curam languidorum,
Quinque multis afflictorum
Corpora languoribus.
Præter tot & plurimorum
Ac poſtea Oſtenta miraculorum,
Temporibus modernorum
Signis evidentibus
Præſer- Claret per morborum curas :
tim cura- Aufert calculi torturas,
tione cal- Infortunia, preſſuras,
culi. Ei ſe voventibus.
Sis LIBORI tu Patrone,
Salutaris, fide, bone,
Nos in gratiam diſpone,
Et ſervire Deo mone :
Auffer quæque noxia.
Hoſtium ſeda furores,
Corporum ſana languores,

Ani-

Animabus da nitores,
Poſce mundi poſt mærores
Cœli nobis gaudia.

V.

Hymnus

Ex antiquo Breviario proprio Eccleſiæ Paderbornenſis.

Lux eſt ſolennis hodie,
Mundi lætetur machina,
Liborii memoriæ
Cœli congaudent agmina.
Illuſtri de prolapia
Gallorum qui progenitus,
Virtutum elegantiâ
Tranſcendit ſtirpem penitùs.
Benignè, ſanctè, ſobriè,
Seſe regens in omnibus,
Præfectus eſt Eccleſiæ,
Præſul regendis ovibus.
O dignitas eximia!
Quam meruit divinitus:
Præſidia ſublimia
Sunt, quæ præſtat humanitùs.
Revera non huic demitur
Virtus impetratoria,

Cui

Cui tot ſignorum traditur
Notiſſima memoria :
Inter quæ fugans Dœmones
Obſeſſis à corporibus,
Quàmplures curat homines
A variis languoribus.
Virtus Viri tam celebris,
Et jugis interventio,
Nos ſalvet ab illecebris,
Et cœli jungat gaudio!
Sit tibi virtus, gloria,
Laus, Perſonarum TRINITAS;
In quibus nil per omnia,
Quàm Numinis eſt unitas. Amen.

L 13 15
901 1671389

Google

BIB
V